

PALAESTRA

LATINA



ANN XXXV (Fasc. I) – N. 189
M. MARTIO – A. MCMLXV

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii CAESARAUGUSTAE edendi

PRETIUM MITTATUR OPORTET AD ADMINISTRATOREM:

San Antonio M.^a Claret, 37 - ZARAGOZA

vel ad Procuratores singularum nationum

Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - Barbastro (Huesca)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetis; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus.

Depósito Legal L - 12 1958

Editur Ordinarii et Superiorum permisso

INDEX

ANN. XXXV (Fasc. I) N. 189

M. MARTIO A. MCMLXV

MOLINA - ARAMENDIA, <i>Novi Palaestrae Moderatores</i>	1
C. M. DOLCIMASCOLO, <i>De Latinitatis institutione colloquium</i>	2
J. M. MIR, <i>Nova et Vetera: Adventat ver</i>	9
J. AMBROSI, <i>Iter Dantis in Deum. Purgatorium. Iacopus, Boncontes, Pia</i>	13
L. M. SANSEGUNDO, <i>Undenam crucis supplicium, quandoque usu venerit desieritque</i>	19
A. LI CALSI, <i>Deus, Deus meus</i>	25
F. ALOISE, <i>Quae Lucia senserit suis montibus valedicens</i>	26
G. BEACH, <i>Petrus Sclopetarius</i>	30
J. ARAMENDIA, <i>Per Orbem</i>	34
B. FONTANINUS, <i>Sallustiani flores vel gemmae</i>	37
BIBLIOGRAPHIA, <i>M. Molina, R. Del Re, J. Aramendía, J. Jiménez</i>	39
RISUM TENEATIS	
<i>Palaestrae Adulescentium valedicimus</i>	45
<i>Facetiae, narrationes, cetera, Sánchez, Martínez, Bailón, Paricio, Chwkwu, Pina, Viero, Espuey, Chele</i>	46

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII
A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

ANN. XXXV (FASC. I) — N. 159

M. MARTIO

A. MCMLXV

Novi Palaestrae Latinae Moderatores

Lectores commentariorum nostrorum amice admonitos volumus PALAESTRAM LATINAM paucis abhinc mensibus Moderatorem mutavisse; qui tamen Moderator duo et viginti annos fuerat Rvdus P. Josephus Marta Mir, C. M. F. Vehementer dolemus ab hac sede Palaestrae Latinae dilectissimum clarissimumque virum discessisse; sed eodem absente quadam consolatione levamur in primis cum putemus Professore creatum esse recentis Instituti Romani a Summo Pontifice Paulo VI Latinitati colendae nuper conditi, ubi eum pro litteris et sermone latino, quorum indefessus in commentariorum nostrorum paginis tot annos fuerat propugnator, pro certo habemus acriore et vehementiore animo in iisdem defendendis tutandisque militaturum

Ejus amici et sodales numquam obliviscemur viri comis et humani qui et cultui antiquitatis latinae et legendis investigandisque scriptoribus latinis et latino sermone ad hodiernam loquendi necessitatem novis vocibus novando aptandoque, plenior aetatem suam devoverat.

Qui compertum habemus quam impense superior Palaestrae Latinae Moderator in sustentandis amplificandisque commentariis adlaboraverit —quam ob rem numquam gratias satis et jure referre poterimus— conscii tanti muneris et officii sacram P. Mir hereditatem suscipimus incoeptumque ejus opus nos totis viribus continuaturos profitemur. Quod nobis profecto magnum novorum laborum erit incitamentum quodque a nobis etiam assidui commentariorum lectores debent exoptulare, apud quos major in dies gratia et obsequium crescit erga Palaestram Latinam.

Novi igitur Moderatores liberalissimo hospitio —quo commentarii nostri semper exstiterunt— omnes operis socios et adjuutores invitamus, qui in posterum nobiscum quoque una praestare suam operam velint suisque scriptis cum poematis tum oratione soluta Palaestram Latinam honestare. Libentissimo animo speramus —id vehementer obsecrantes— lectores nostros nobis missuros monita sua, consilia, opiniones aliaque id genus ad meliores eosque praestantiores commentarios nostros perficiendos.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.
Moderator

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.
Pro Moderatore

De Latinitatis Institutione

Colloquium

Autumnalis temporis aër Urbi impendet gravis, dum sol occidens, qui lumine celeberrimas illustrat vias, quasi nos salutat, remotas gentes a placido excitaturus somno et jucunditate quadam perfusus.

Tam lentae pigritiae, qua omnia videntur laborare, salutationes respondent plenae desiderii et maestitiae, respondent animi praeteritam in suavissimis somniis querentes aetatem.

Rarae aves nullo strepitu caelum verberant alis, quod, nubibus tectum altis, serenitatem et nitorem amisit.

In xystis, ubi mihi lubet spatari, late folia decidunt ex arboribus flaventia; in areolis non amplius odores afflantur e floribus, splendore colorum destitutis et ad soporem quendam hiemalem paratis.

Longe ab hominum coetu, tempus est et spatium cogitandi atque omnia notandi. En, mihi simul fluere videtur juvenus solis cum languidis frigidisque radiis; obscurum crepusculum fugientis temporis¹ vocibus personare; delapsa in Forum Romanum vespera columnas parietinasque tristitia circumfundere ingenti.

Ubi enim magna populi frequentia, altum silentium; ubi res gestae memoria dignae, fatalis oblivio; ubi negotia et contentiones, otia et tranquillitas.

Quam alte res loquuntur! quam multa de sua gravitate ac dignitate Forum patefacit!

In saxo quidem assidebam arbori procerae, in ambulatione leviter fastigata, una ex parte patenti atque aperta, cum subeuntem vidi hominem defatigatum et in manu ephemeridem tenentem.

Jam agnosco amicum et eum comiter salutatum recipio sessum. Hic autem amplissimis verbis pro mea in eum liberalitate gratias agit, et «Cedo—inquit—quaeso, diaria, et quantum exterae gentes nobis sint prudentiores videas!

«Dum enim in Italia rei publicae moderatores institutionem linguae Latinae ex schola secundi ordinis paene evellere decreverunt, dum Sacrorum

1. Cf. Giuseppe Morabito, I sonetti del Foscolo in latino, in commentariis, qui «Rassegna di cultura» inscribuntur (vol. I, 1964), I. Ad Vesperam. «...fuglunt tempora saeva mihi».

Antistites ad Concilium Romae undique convocati disserunt de ea adhibenda in sacris ritibus peragendis, heri Pontifices Ecclesiae Britannicae legem jusserunt, qua iidem facultatem dare possunt sermonem Latinum usurpandi in sacris caeremoniis, quae vel in scholis vel in ephebeis vel in majorum disciplinarum domiciliis fiunt².

Quid in nostra republica accidit?

Pro stultitiam!

Communistae enim cum socialistis, qui et captant occasiones et nanciscuntur ad foedus confirmandum, contra linguam Latinam instituerunt contendere.

Capitalis contentio est ad linguam hanc delendam; qua peste quae potest esse major?

Ea enim inhaeret humano nostro civilique cultui, ea est propria Catholicae Ecclesiae, quare eam «dicere catholicam vere possumus»³, ea «admirabilem quandam sapientiam»⁴ litteris custodit.

Eos enim non praeterit scholam, quam classicam appellant, jurium ac libertatis domicilium esse. Hanc tyranni formidant.

Principes enim Moschorum non multitudinem physicorum verentur, qui veluti virgula divina ducti eorum parent praeceptis; at metu exhorruere, cum Boris Pasternak, scriptor ille atque artifex, librum quendam divulgavit⁵.

Commentarii enim litteris provehendis, qui Moscuae proferuntur, non physicos reprehendunt, non arithmeticos peritos, non chimicos, non machinatores, viros singulari officio in dominationem, sed homines litteratos acerrime verberant; non eo videlicet quod illi ignavi sint, hi contumaces, sed quia diversis sicuti muneribus funguntur.

Etenim omnium iudicium est aequationem aut formulam chimicam non esse opinionem quandam, qua aut recte aut falso de aliqua re iudicamus, sed nemo est qui infitietur librum, qui in rebus humanis vel fictis et comenticis versetur, non inermes habere opiniones.

2. Cf. «Il Quotidiano», ephemeridem Romae editam, VII Id. Nov. 1962.

3. Cf. PII XI Ep. Ap. «Officiorum omnium», 1 Aug. 1922 (A. A. S. XIV, 1922, p. 453).

4. Marci Ant. Mureti Orationum Vol. II, Orationem XXII habitam Romae pridie Non. Nov. anno 1583.

«...Duae praecipue mihi quidem causae videntur, cur et graecam et latinam linguam amare, et in earum utraque praecipuum studium ponere debeamus. Una, quod graece et latine, graece quidem et plures et praestantiores, sed tamen latine quocumque sat multi, ejusmodi viri scripserunt, ut propter «admirabilem quandam sapientiam»..., dignissimi sint, ad quos intelligendos omnia ab omnibus elegantioris ingenii hominibus opera conferatur, etc.».

5. Liber designatur, qui nomen accipit a «Doctore Zivago», anno 1957 primum in Italia editus.

Sunt enim artes graviores ab hominum vita ac moribus, a justitia aut ab injuria, a bono aut a malo alienae.

Sed historiae et philosophiae et litterarum instrumento non modo cogitationem intendimus in hominis vitam et fortunas, in ejus erga se et societatem conjunctionemque hominum officia, in rerum civilium rationes, verum etiam iudicium acimus et alimus, propugnaculum arbitrii praeceptis imperiosis opponimus et obicimus.

Politiorem equidem humanitatem, quae ingenuis disciplinis continetur, hujus rei procreatricem quandam et quasi parentem, omnium populorum et gentium opinione et consensu, iudico.

Non igitur mirum est sectatores illos Caroli Marxii huic adversari».

Hic dixerit aliquis amicum hunc meum causidicum esse et morosum virum, qui statim ac mihi occurrit tam doctum sermonem mecum instituerit. At sciat eum esse Latinitatis litterate peritum eundemque hominem disertissimum.

Cui, igitur, respondi ita prorsus existimare, quod verissime de hac quaestione iudicasset. Gratiam autem non neglexi, quod subiecisset quid disputaremus: de re, quae nostra maxime interesset; et sermoni operam dare perreximus sedentes.

«De Latinitatis institutione —inquit— nimirum probe nosti magna contentione actum esse et in publico legum latorum coetu et in senatu, et in diariis et in commentariis. Fuerunt etiam duces ex factione socialistarum, qui linguam Latinam affirmavissent aliquid amens esse abs quo alienari nos oporteret, quippe quod populari civitati infensum et inimicum esset, qui porro, acutis et latentibus minis usi, ausi essent dicere totam Italiae scholarum constitutionem ita perturbatam esse, ut recens senatus consultum de «media», quam vocant, schola in unum redigenda, id, ad aliquos annos, efficiat ut illi quoque, qui institutionem Latinitatis defendunt, eam esse extinguendam censeant»⁶.

Quid plura? Quid apud ephemerides socialistarum proprias scriptum legimus?

Ecce: «Rebus ad senatus consultum institutis, tota scholarum forma in controversiam deducitur»⁷.

Nullus pudor, nullae simulationes. Partibus enim, qui nostram rem publicam tenent, visum est ut componeretur. Itaque ad medium quoddam consilium deventum est, quod certe non ad civium dirigitur utilitatem.

6. Cf. «Democrazia», commentarios, qui Romae octavo quoque die foras dantur. Postridie Id. Oct. 1962.

7. Cf. «Avanti!», III Kal. Oct. 1962.

Nullae enim hac lege ad exitum adducuntur quaestiones, quae ex Italo-
rum societate conformanda oriuntur, sed, cum fuerint res civiles atque po-
pulares⁸ in discrimine et deflexerint sinistrorsus, ut aiunt, (hoc quid sit in-
tellegis), quasi cautum est ut schola ita pedetemptim evertatur, ut non am-
plius sit humanitatis officina, sed res, omnia expers dignitatis, ad illibera-
les, ut ita dicam, quaestus facta.

Manus jactans, ira accenditur amicus in insipientes quoque, qui, quam-
vis nihil habeant quod accusent linguam Latinam, tamen vel plebis concili-
andae gratia vel sacrarum rerum offensione socialistis velificantur.

Eum rogo ut praecidat, inde arridens me in mediam immitto quaestio-
nem.

«Mitto vero —inquam— res politicas, ut «paulo majora»⁹ dicamus.

Errant, vehementer errant qui putant se omnium animos movere posse
ad Latinitatem spernendam. Existiment quidem temere, ingenua studia
atque artes emolumento et utilitate carere, sed valebit tandem aliquan-
do prudentia. Nonne est prudentia «rerum expetendarum fugiendarumque
scientia?»¹⁰. Atqui litterae Latinae expetendae quam maxime sunt. Nihil
quidem novi in terris. Meministine Rentium, adolescentem illum, qui in fa-
bula quadam romanensi, tibi notissima, primas partes agit, cum Abundio
curioni praesto fuit eo ipso die quo quam amabat ducturus erat uxorem?¹¹
Quid hic illi, impedimenta matrimonii summis computanti digitis, respon-
dit?

«Quid tuo faciam sermone Latino?»¹²

Hujus personam mehercule! eos prorsus induere arbitror.

Ridit qui mecum colloquitur, quo est animo prompto ad jocandum.
Tum ego: Cur tam vehementer rides? Ita est. Haec enim Rentii verba quasi
tritum effatum facta sunt, quo perperam utuntur qui artium tropaeis
exultantur, qui rerum emolumenta ipsa cupidius ligurriunt, qui memorias
nobilissimas ac saluberrimas a majoribus traditas contemunt¹³.

At institutionem linguae Latinae ut vindicemus firmis rationibus com-
movemur.

8. Cf. Cic. De Fin. 5, 23 66 hominis natura habet quiddam innatum, quasi civile atque
populare, quod Graeci «politikón» vocant.

9. Cf. Verg. Ecl. IV, 1

10. Cic. De Off. I, 43.

11. Significatur fabula ab Alexandro Manzoni conscripta, quae nomen invenitur a
«spondis».

12. Cf. «I promessi sposi», cap. II.

13. Cf. «L'Osservatore Romano», VI Kal. Oct. 1962, commentationem, quae inscribitur
«Che vuol ch'io faccia del suo latīnorum?»

Asseverandum quidem nobis est scholam secundi ordinis non ad doctrinam tantum, sed etiam ad humanitatem animos alumnorum informare. Et quoniam vita nostra ita instituenda est ut artes, quae in orbe terrarum omnium florent et dominantur, cum humanitate et nostra dignitate temperemus, ejus instituta spectant ut pueri veterum rerum sibi conscii sint neque earum ita tenacissimi, ut quae antiquitus agitata sunt ad futura non componere queant cum iisque continenter conectere.

Nos enim aliud sumus ac machinationes, et mentis expertes et voluntatis, quae per arcanam quandam vim ex longinquo jubentur, neque in numeros inanimos vertere possumus.

Quamquam litteris, quibus imbuimur, ad oboedientiam nos quidem impellimur, sed docemur, remotis alienis, compedibus, et prudentes agere et scientes, ut Graecorum et Romanorum cultu atque humanitate exstat.

Hinc nostra latius patet prudentia, non quod abundemus doctrina, sed quia nobis cognitiones insunt singulari quadam natura praeditae. Ut cum Vergilium vel Aeschilum legimus, in quibus animi oblectationem quaerimus, cotidianis derelictis laboribus et operis, convertimus animum ad excelsiora et ad infinitatem quandam rerum, in qua extra tempus regnant mens et ingenium.

Quisnam hoc vanum otium esse dixerit? Homines enim hujus aetatis tam nimis vitam communem attingunt, ut ejus non veniant in oblivionem. Ex antiquitatis contra usu, consequitur ut animi nostri ita flexibiles fiant ut vitam in melius mutemus, cum veterum sapientia temperatam.

Itaque non periculum est ne quid aetas haec nostra ferat non perspiciamus neque animum ab ea avertamus; nam homines ingenio scientiaque excellentes, qui ante nos fuerunt, idcirco magnum in nostram societatem humanam momentum habent, quod animo veluti Graeco et Latino singulari quodam casu praediti videntur.

Ex quibus vero, nisi ex Socrate, ex Platone, ex Demosthene, ex Cicero, ex Horatio, societatis notiones et libertatis et justitiae et dignitatis cognovimus? Quae quidem ut ab illis, sic a nobis expetuntur, et, quamquam in temporum cursu, rebus necessario mutatis, nova affici possunt interpretatione, tamen pro nobis idem immutatum ac paene definitum valent?

•Attulisti—inquit amicus— praeclara argumenta, cur linguam Latinam vindicemus, quam merito ad Graecam adjunxisti. Estne enim quisquam, qui dubitet Graecorum et Latinorum nationes ita Europae populos instituisse atque erudisse, ut quidquid horum civilis cultus et processus est ex illis emanet? qui neget homines cogitationes atque memorias potissimum dicendo exprimere et tradere? Sunt igitur Graecorum et Romanorum linguae servandae, diligendae maximeque colendae.

Non ita existimo solus auctoreque, praeter homines in omni doctrina praeclaros, ad sententiam meam uti optimo possum. Equidem, cum mense Septembri anno 1954 maturitatis, quae «classica» dicitur, experimento magister adfui, memoria teneo adolescentibus praescriptum esse cogitationem intendere in argutam hanc sententiam acuti illius scriptoris rerum et sapientis Vincentii Cuoco: «Etiamsi ceterae nationes nullo detrimento nullaque indignitate Graece et Latine nesciant, non est nobis nesciendum. Namque Graeca lingua et Latina nostrae sunt, majoribus nostris natae sunt, nobis in singula diei tempora opus sunt, ut cognoscamus unde sermo sit, quo utimur, unde leges, unde mores, unde instituta, unde opinionum commenta, ut autem saxa ipsa cognoscamus, quae nobis circumjacent, quorum ne unum quidem nomine illustri caret».

Cum haec sciam tibi plane videri, quid opus est, diu considerare? Id unum velim cogites, quo quidem nihil est memoriae patriae tuae accommodatius.

Plena est Italia saxis, plena locis, quorum nomina antiquorum temporum memoriam repetunt, ut Paestum, Neapolis, Cumae, Palinurus, quod est Campaniae promunturium, Trinacria, Agrigentum, Drepanum, Drepani dico «portum et illaetabilem oram»¹⁴. «Huc olim appulit, multas tempestates passa, parva classis heu quantum fati ferens! Hic pater Aeneas sollemnes ordine pompas sancti parentis manibus exsecutus certamina posuit. Qui fremitus plaususque virorum cum Gyas ceteraque pubes nautica navibus super undas elabentibus in scopula sonantia sese certatim effuderunt!»¹⁵.

Jam tacita properat nox et suadet ut eo loco cedamus. «Quid amplius —inquam— hic sedere? Conspice, trans parietinas Fori et arbores, multitudinem luminum, quae nitorem quendam aëre mixtum tenuissimo sublime efferre videntur. Quot moles assurgunt! Perfruamur tam mirifico aspectu, dum desertam hanc viam emetimus».

Haec cum dixissem, consurreximus. Et ille: «Priusquam nos, colloquio interrupto, domum recipiamus, juvat me delectari lectione paginae libri vetusti, a Jacobo Facciolato conscripti, perelegantissimo illo Latinitatis studio, qui jure linguam Latinam ad caelum extollit. Maximeque hic juvat, propter Forum Romanum, cujus saxa sunt «civium acerrima ad aemulandam gloriam incitatio»¹⁶, hic, ante Romam, domicilium Latinitatis et quasi perfugium ita sanctum, ut id violare nefas sit».

Tum ego: «Nihil mihi potius est quam ut obsequar tibi, ideoque illam paginam una perlegamus». Dixeram hoc, cum ille subter lampada palo ab

14. Cf. Verg. Aen. III, 707.

15. Cf. Ignazio Poma, *Nox Erycina*, Trapani, 1939, pp. 6-7.

16. Cf. M. Antonii Flamini Carminum lib. VI, Carm. IV, De saxis Romae nuper repertis, vv. 7-8.

alto pendentem constitit et librum e sinu eductum legere coepit: «Laudabile linguae Latinae studium. Primum ob dignitatem: quia lingua haec fuit principis terrarum gentis; quia adhuc in publicis monumentis, in sacris, in caeremoniis locum habet, quia una demum ex omnibus perpetuo duratura videtur, quod cum religione juncta sit. Ac ceterae quidem linguae, quibus nunc utimur, pendent a populi voluntate, qua nihil levius; Latinam ab hac servitute eruditi vindicarunt, et certis firmisque legibus constituerunt.

Deinde ob jucunditatem: quia pulcherrima est, gravis, numerosa, dives, ad omnia animi sensa exprimenda et ornanda supra ceteras apta.

Hinc ab omnibus nationibus, tamquam cujusque propria arrepta est. Nam per hanc unam cum omnibus hominibus jungere commercia possumus, et Babelicae turris incommoda compensare.

Postremo ob necessitatem: nam qui litteris deditus est, aliis omnibus linguis carere potest, hac una non potest... Frigidus est Theologus, Philosophus, Jurisperitus, qui suarum rerum gravitatem aliis verbis assequi conatur, quam Latinis. Ergo haec litteratorum lingua dici quodammodo debet, in qua qui praestat, non jam inter turbam, sed inter ipsos litteratos eminet. Quod si homines brutis animalibus antecellunt, quod animi sensa inter se conferre loquendo possint; litterati ceteris hominibus, quod melius possint; quanta erit ejus praestantia, qui litteratos ipsos elegantia sermonis praetergrediatur?»¹⁷

Quod cum leni voce legisset, libro clauso, «Habes —inquit— quae clarissime de Latinitatis laudibus dici putem, verbis Facciolati expressa. Quosque erunt qui in linguam Latinam declament inepte? nonne aspiciunt se tamquam in obscuritate rerum versari?».

Discessimus domum. Stellae, etsi non relucebant in caelo tamen meo renidebant ingenio, et in infinita rerum quiete animadvertēbam quanta lux sapientiae et prudentiae ex Latinitate nobis oriretur.

Oh linguam maximam! oh linguam pulcherrimam!

CAJETANUS M. DOLCIMASCOLO

Collegio •CUSMANO•

Romae

(ITALIA)

17. Jacobi Facciolati Orationes et alia ad dicendi artem pertinentia. Patavii, MDCCLIV, pp. 442-43.

NOVA ET VETERA

ADVENTAT VER

1. Recessit tandem lugubris et taetra hiems eique vernum tempus subridens successit; pueri cum vate canunt: «Jam ver egelidos refert tepores» (CATUL., 46, 1).

Videsne ut tota natura iterum vigescat novisque augeatur ornamentis? Quis tamen nitidis exprimat coloribus venustatem qua intexta splendeat nova aetas?

Quae cottidie ante oculos obversantur tu ipse recole, nam subjecta imago index minimus est rerum quibus hoc benigno tempore, Dei gratia, large oblectamur.

2. Ab altissimis montibus, ubi perpetuae fere conspiciuntur nives, rivi praecipites descendunt et flumina quae campos agrosque irrigent ac feraces reddant. Prata versicoloribus¹ ornata² floribus late virescunt gramine, seu ut poeta dulcius cecinit, «prataque pubescunt³ variorum flore colorum» (OVID. *Trist.*, 3, 12, 7); suavi caelum perfunditur odore; remisit ventorum furor, et jucundis auris zephyrus ora demulcet, arbores gemmas, flores⁽⁴⁾, folia proferunt ut aestivo tempore fructus maturescant.

3. Vernat⁴ jam primo mane, dum alium solem consalutant, tota avium familia et dulcisonis cantibus aethera mulcent mentemque hominis rapiunt. Mater interea quiete ova incubat. Luscinia⁵, rivuli oris immissa, aut a lento pendens termite⁽²⁾, aut inter arborum frondes eminens, procul variam fundit cantilenam⁶. Hirundo⁽⁷⁾ vetusta et jam a parentibus lustrata atria, aut venerandam ecclesiae⁽³⁾ turrim⁽⁵⁾ et campanas⁽⁶⁾ sedulo amore circumvolitat, aut tecto⁽⁴⁾ insidit, aut luxurians⁷ imo pectore umidam undam praetervolat⁸, aut escam, qua loquaces filiolos alat, insequitur.

4. Sedulae apes florum nectar sugunt, favos moliantur⁹, purissima ac fragrantissima mella stipant¹⁰, cellas miro ordine complent.

5. Joannes pastor⁽¹⁰⁾ primo diluculo gregem cum asino⁽⁸⁾ et cane⁽¹⁵⁾ ad pascua ducit; ac mane ad solem sedens, meridiano autem tempore sub umbra, dum fumarium tabacinum sugit, oves⁽⁹⁾ et vaccas⁽¹¹⁾ pascit, quae quiete herba medica¹¹, trifolio¹², farragine¹³, herbis vescuntur. Juxta pastoris casulam¹⁴ est aquatio¹⁵ et praesepe¹⁶ in quo pecudibus pascua deponuntur; haedi⁽¹⁴⁾ balantes ad matrem accedunt ut lacte nutriantur. Vaccae herbida prata tondent; cum vero domum revertuntur, distenta lacte ubera servus gaudens mulget; lacte pueri, aegri, infirmi aluntur eoque quamplurimi utuntur



jentaculo; sed et caseus et flos lactis¹⁷ et coagula recocta¹⁸ et lac jogurtinum¹⁹ et aliae cuppediae lacte conficiuntur.

6. Hoc quoque tempore Antonius, jam proventus aetate⁽¹²⁾, qui frigescente hieme vitam ad focum fere ducebat, aut diebus quibus sol benigniores profundeabat radios in chiramaxio²⁰ vel in arcisellio²¹, ad domus recessum² apricabatur, in sole nunc, baculo innixus, ambulat.

7 Adulscntes rusticantur²³: —forsitan aliquis vestrum ibi interesse cupiat—, atque otioso vitae cursui indulgent²⁴. Albente caelo in villulam²⁵ paternam pedestri itinere proficiscuntur. Omnes expedita utuntur veste: maculam⁽²¹⁾ 26 induit Albertus, Maria Anna pelusiam linTEAM²⁷, Isidorus subuculam⁽²⁶⁾ 28 tantum, cujus collare^{28'} vides, Cyprianus autem bracas folliculantes⁽¹⁷⁾ 29 et pedulia³⁰ cum calcis gymniscis⁽¹⁶⁾ 31, pro quibus Francisculus, ut commodior cursitet, soleas spartcas⁽²⁴⁾ 32 gerit.

8. Omnes ad urbis therotrophium³² conveniunt. Parum inde progressi, ad frigidum fontem⁽¹⁸⁾, aut ad aquae dejectum³³, tenue jentaculum sumunt: parum casei⁽¹⁹⁾, chocolatae³⁴ et panis, aut pastillum perna fartum⁽²⁵⁾ 34'; qui vero lac in delictis habent sinum lactis condensis³⁵ reserant, aut ex thermophylacio⁽²⁰⁾ 36 illud expromunt adhuc fervens.

Inde stratam arripiunt, curriculum automobilium³⁷ percurrunt, et juxta fluentum et locum arboribus consitum, consistunt. Manticam⁽²²⁾ 38 umeris deponunt ac parumper sub umbra animum relaxant et colloquuntur. Ad horam primam postmeridianam prandium parant siccum³⁹: e pyxide frigida-ria⁴⁰ carnis laminulas⁴¹ assas efferunt, segmenta pernae⁴² et farciminis⁴³, ova durata⁴⁴ vel permixta⁴⁵, pisces frictos, perdicem aut pulli gallinacei

thoracem⁴⁶ vel poplitem⁴⁷; deinde poma condita⁴⁸ et recentia. Catinos ex porcellana⁴⁹ non deferunt, sed ex aluminio⁵⁰ vel e plastice⁵¹, neque corniculum vitreum⁵², sed utriculum⁵³ et refrigeratorium⁵⁴, aut cantharum⁽²³⁾ 55.

9. Cyprianus, qui vir jam haberi vult, compacturam tabaci⁵⁶ ab Alberto accepit, hispanicam contorsit⁵⁷, qua nunc libenter fumat⁵⁸, alias e capsula⁵⁹ hispanicam sumet; deinde in pingui herbae recessu bajonulam⁶⁰ arboribus adnectet et somnulo indulgebit, alii vero ludis oblectabuntur.

VERBORUM INDEX

1	versicolor, oris	<i>de variados colores</i>
2	ornare [variegare]	<i>esaltar</i>
3	pubescere	<i>lozanear</i>
4	vernare	<i>cantar a la primavera</i>
5	luscinta ae	<i>ruiseñor</i>
6	cantilena, ae	<i>melodía, tonada</i>
7	luxuriare	<i>juguetear</i>
8	praetervolare	<i>volar rozando</i>
9	moliri favos	<i>fabricar panales</i>
10	stipare	<i>acumular</i>
11	herba medica	<i>alfalfa</i>
12	trifolium, ii	<i>trébol</i>
13	farrago, inis f.	<i>pasto segado verde</i>
14	casula, ae	<i>cabaña</i>
15	aquatio, onis f.	<i>abrevadero</i>
16	praesepe, is n.	<i>pesebrera</i>
17	flos lactis	<i>nata</i>
18	coagulum recoctum meta lactis	<i>requesón</i>
19	lac jogurtinum	<i>yogurt</i>
20	chiramaxium, ii	<i>cochecito de mano</i>
21	arcisellium, ii	<i>sillón de brazos</i>
22	recessus, us m.	<i>rincón, lugar resguardado</i>
23	rusticari	<i>hacer vida de campo, (pasar un día en el campo)</i>
24	indulgere otioso vitae cursui	<i>divertirse, (pasar el rato)</i>
25	villula, ae	<i>quinta, casa de campo, chalet</i>
26	macula, ae	<i>jersey</i>
27	pelusia lintea	<i>blusa de lino</i>
28	subucula, ae	<i>camisa</i>
28'	collare, is n.	<i>cuello</i>
29	bracae folliculantes sarabara folliculans	<i>pantalón golf, bombacho</i>
30	pedule, is n.	<i>calcetín</i>
31	calceus gymnicus	<i>zapato de deporte</i>
32	solea spartea solea cannabina baxea, ae	<i>alpargata</i>
32'	therotrophium, ii	<i>zoo, parque de animales</i>
33	aquae dejectus	<i> cascada</i>

34	choco ara, ae	<i>chocolate</i>
34'	pastillum perna fartum	<i>bocadillo con jamón</i>
35	sinum lactis condensati sinum lactis densati	<i>bote de leche condensada</i>
36	thermophylactum, ii	<i>termo</i>
37	curriculum automobilium	<i>autopista</i>
38	mantica, ae	<i>mochila</i>
39	prandium siccum	<i>comida en frío</i>
4	pyxis frigidaria	<i>fiambrella</i>
41	carnis laminula	<i>filete de carne</i>
42	segmentum pernae	<i>tajada de jamón</i>
43	segmentum farciminis	<i>roncha de embutido</i>
44	ovum duratum	<i>huevo duro</i>
45	ovum permixtum	<i>tortilla</i>
46	thorax (pulli gallinacet)	<i>pechuga</i>
47	poples, itis, f.	<i>puta</i>
48	pomum conditum	<i>fruta en almíbar</i>
49	porcellana, ae	<i>porcelana</i>
50	aluminium, ii	<i>aluminio</i>
51	plasticæ, es f. plastica, ae	<i>plástico</i>
52	corniculum vitreum rhytium, ii	<i>perroón</i>
53	utrículus, i oenophorum	<i>bota</i>
54	refrigeratorium, ii	<i>cantimplora</i>
55	cantharus, i	<i>cántaro</i>
56	compactura tabaci	<i>paquete de picadura de tabaco</i>
57	hispanicam contorquere hispanicam convolvere	<i>liar un cigarrillo</i>
58	fumare hispanica hispanicam sugere	<i>fumar un pitillo</i>
59	capsula, ae	<i>cajetilla (de cigarrillos)</i>
60	bajonula, ae lectus pensilis	<i>hamaca</i>

J. M. MIR, C. M. F.
In Seminario Claretiano
CERVARIAE AD ILERDAM.
(IN HISPANIA)

ITER DANTIS IN DEUM PURGATORIUM

IACOPUS, BONCONTES, PIA

Purg. c. V, vv. 22-136

*Fulgores sanguinis
per purum micantes*

Alternis «Miserere» canens transversa legebat,
ante parum, montis lenta caterva gradum.

Vixdum fracta luce meam stupuere figurum,
murmure tum rauco consonuere diu.

Et subito geminus fit nuntius obuius: «O vos»,
quaerentes, «quinam sitis et unde, date».

«Ite», magister ait, «sociisque exponite vestris:
non Umbra, est vera carne sed iste gravis.

Hoc si cunctantur sitientes, hoc satis illis.
Laudent: quod reddet, fertile munus erit».

Non ita sub noctem rapidum secat aethera sidus,
flamma vel aestivo sole cadente micat,

illico utambo suos petierunt rursus; et omnes
ad nos praecipites, concita turbo, volant.

«Multa cohors ac multa precons huc advenit: audi,
vadere et interea perge», poeta mihi.

«O, mortalis adhuc, Superum contingere vitam
cui dabitur», flebant, «siste parumper iter!

Nonne aliquem nostrum novisti, respice, vivum,
quem vivis memoras? Cur procul usque iugis?

Terminus et vitae jam nobis omnibus idem
exstitit et culpae mors violenta simul;

sed sceleris fuimus tunc caeli lumine gnari,
supplicibusque datam post veniam licuit

linquere placotis Domino mortalia nostra,
 qui tanto nunc nos urget amore sui».

Mox ego: «Nulla movet me vestra per ora tuentem
 cognita forma; tamen quod placet efficiam
 vobis rite, mihi modo sit fas, o bene nati:
 testor eam pacem, cujus amore premor
 sic ut, clari hujusce ducis vestigia servans,
 nixus ab infernis sursus ad astra ferar».

Tunc unus coepit: «Sperant jurantia verba
 si modo largiri, quae cupis, ipse vales.

Qui loquor ante omnes ideo precor anxius: illam
 cum vises urbem, quam prope lata patent
 hinc Caroli fines, illinc Romandia tellus,
 Fanum, jam patrii moenia prisca laris,
 pro me saepe Deum fac orent qui bene possint,
 ut jutus precibus crimina foeda lavem.

Ast alibi, saevis terebrato ex pectore plagis
 spiritus emicuit decidit unde cruor:
 urbe Antenorea fisum, me fraude tyranni
 bilis Atestini stravit, iniqua nimis.

Sed Miram versus si Oriaci pressus adissem,
 nunc mea mortalis vita maneret adhuc.

Quo me proripui cursim, densisque ligavit
 me stagnum calamis complicitque luto;

sic cecidi, fusoque meis ibi sanguine venis
 est mihi visa rubens terra fluente lacu».

Post alius: «Peragas tua quae jubet alta cupido,
 tuque meae votis auxiliare piis.

En vide, Boncontes qui sum, de Monte Feretro;
 heic comites inter fronte remissus eo,
 cura mei cum nulla meis sit, nulla Joannae».

Atque ego: «Quae vires, sors vel acerba, refer,
 te Campaldini nece sic dispersit, ut omnes
 quo tua sint lateat maesta sepulcra loco?».

«Pro dolor!» Unbra mihi, respondens: «parte sub ima,
trans Casuentinos versa, fluenta meant

(nomine quem dicunt Arclanum) propter Eremum
ex Appennino desilientis aquae.

Guttura pertusus, fugiens quo funditur omnis
pervenit et maculans sanguinolentus humum.

Visus ibi extremus ¹, ibi vox extrema: Maria!
Sic jacui; et mansit squalida sola caro.

Tu mea terrigenis refer haec tibi vera relata:
angelus est missus mi pietate Dei,

proditor et stygius: —Cur ardes— exululabat,
—nobis addictum carpere, caelicola?

Hujus lacrimulis Animam tu tollere curas;
ast alio rapiam subdita membra modol—

Uvidus, ut noscis, collectus in aëra fumus
frigescit saliens fitque repente latex.

Flamina ventorum pepulit pressitque vaporem,
qua virtute potest, arbiter ille mali.

Ab Pratomagno Appennini ad culmina vallem
occuluit nebulis, emoriente die;

intentumque polum nimbum contraxit in unum,
qui large effusas praecipitaret aquas.

Imbribus aethra ruit; rivos primo unda minores
auxit de satura quae refluebat humo,

ac dein majores, flumen regale subinde,
tam rapida ut claustrum fregerit omne furor.

Repperit Arclanus fervens, gelidumque cadaver
Arni gurgitibus detulit, ora penes;

explicuitque crucem, quam vi superante doloris
signarant gremio brachia pressa meo:

per vado, per ripas provoluit, et undique versis
me cinctum spoliis obruit ille suis».

«O hominum repetens oras longumque quietus
post iter, inde mei, quaeso, memento Piae!».

1. Productio brevis syllabae in caesura: «Pectoribꝫs inhians»... (Aen., IV, 64)

tunc gemit Umbra levis succedens tertia: «Fecit
me Sena; dissoluit Tusca morino palus;
scit satis ille, cui vinclo sociare jugali
rite sibi sponsam me data gemma dedit».

HEU, SERVA ITALIA!

Purg., c. VI, vv. 64-151

Pro Patria

tristissimi indignatio cordis

Umbra ea nos oculis spectabat muta severis,
ut leo cum lenta mole recumbit humi.
Vergilius tamen admovit, sciretne petitum
promere iter levius montis; et illa nihil.
Sed nos unde domo, vitae summamque rogavit;
dulcis et incipiens: «Mantua...» doctor oit,
concito cum subito, prius Umbra remota superbe,
sede sua clamans obvia prosiluit:
«O civis, Sordellus ego; mea Mantua tellus,
quae tua!» Et amplexu cinxit uterque parem.
Heu, serva Italia², sedes miseranda doloris!
orba duce in magno turbine quassa ratis,
regia terrarum quondam, nunc turpe lupanar!
Praedulci patriae tacta repens sonitu,
nobilis Umbra suum coluit tam fervida civem;
mutua cum tot sint acris bella tuis,
in te qui vivunt, alios alique vicissim
rodant, quos murus, fossa vel una premit.
Intus cerne tuas urbes, tua litora circum,
numne tibi loca sint apta quiete frui.
Quid, cum desit eques, quae jam tibi Justinianus³
sarsit, frena juvant? his sine, noxa minor.

2. Alia productio, similis atque in hoc hexametro: *Dona dehinc auro gravia* etc. (Aen. III, 464).

3. Necessitate nominis coactus atque poetica quadam usus libertate, syllabam *sti* corripuit auctor (Cf. Verg. Ecl. IV, 61).

O gens vota Socris, quae munere Caesaris uti
non debes, Domini si bene iussa notas,
quam torva haec fera fit, quia non calcaria sentit,
cum fatuam rapias sola capistra tenens!
Teutonice Alberte, indomitam qui hanc atque solutam
deseris, hanc stimulis quae moderanda tibi est,
jam feriat justum, feriat cito desuper ultor
caeli iudicium te subolemque tuam,
atque novum cunctis ita perspicuumque patescat
ut tuus haec heres fulmina praemetuat!
Hortus ut Imperii rueretur namque dedistis,
praedae istis studiis, tuque paterque tuus.
Hinc, vide, Monticis contra stat gens Capuletum,
gensque Philippescos inde Monalda petit;
huc veniens videas illosque, vir immemor, haustos,
hosque diu fessos suspitione mali!
Eja, age, dure, veni sociorum vulnera visum:
aspicies quantum Sanctafiora gemat.
En venias tandem visurus ut haec tua Roma
sola sibi plorans nocte dieque vocet:
«O meus, o Caesar, cur incommittata relinquo?»
Heic visum venias quomodo regnet amor!
ac, cedo, si nostri nulla pietate moveris,
te tristis, venias, nominis ut pudeat.
At, peto si liceat, cruce nostri Christe Redemptor,
sunt pia nunc alio lumina flexa tua?
anne bonum formant aliquod tua provida semper,
sed prorsum nobis abdita, consilia?
Namque Tyrannis adest ubivis, et vilicus omnis,
sit quasi Marcellus, parte favente tumet.
O mea, pura malis istis, Florentia, gaude
cum tibi tam populus convenienter agat.
Justum corde colunt multi, tamen edere mentem
cauti; sed labiis plebs tua iusta sonat.

Munia ferre pavent multi, sed plebe tua clamat
ultra respondens: «En, ego cuncta feram!».

Sis felix igitur: tu opibus, tu pace redundans,
tu sapiens! verum, quod loquor, acta docent.

Legibus insignes cedant Lacedaemon, Athenae,
civilis cultus parvula imago tui;

nam decreta quidem tibi tam subtilia nectis
ut neta Octobri trita Novembri habeas.

Lex nuper quotiens mutata, pecunia, mores,
officium; quotiens membro novato tibi!

Et bene si memor es, totum nec lumen ademptum,
te cernes similem cui febris alta furit,

quae frustra cupiens requiem reperire cubili
volvitur huc illuc, dum ligat ima dolor.

JOANNES AMBROSI

Via Romagna, 7

Ex urbe FULGINIA (Foligno) ad Perusiam

(In ITALIA)

Undenam crucis supplicium, quandoque usu venerit desieritque

Non mihi visus sum facere majus praetium operae, quam in PALAESTRA LATINA aliqua de crucis supplicio apud veteres breviter perstringere. Tempore quippe Quadragesimali cum simus, quo potissimum acerbam Christi passionem signumque pendentis in Cruce Servatoris nostros ante oculos Ecclesia studiosissime ponit, hoc argumentum — quatenus ad litteras quidem humaniores spectat — oppido quam luculentum est.

DE CRUCIS SUPPLICIO IN GENERE

In primis mihi venit in mentem illud quod Cicero invehens in Verrem dicebat, crucis nempe tormentum «*crudelissimum teterrimumque*» esse (*Verr.* 64). Et Nonnus in Joannem (c. 19): «*damnatissimum quoddam factum*». Quidam autem antiquitatum peritus haec habet: «*Summo supplicio id est, cruce afficiuntur sotes*» (*Paull. Sent.* V, 21). Neque immerito sane. Nam inter tria poenarum genera, quae apud priscos, ut memoriae saltem proditum est, invaluerunt, id est, crux, crematio, decollatio, crux quidem semper praeivit ubique gentium, et hoc, sive infamiam, sive foeditatem, sive denique saevitiam magnitudinemque dolorum in ea spectes. Ex quibus dictis, jam atrocitatem ipsam conjicere licet. Adde quod manus et pedes iis in locis perfodiebantur, in quibus sensus est acerrimus; quod insuper augetur diuturnitate doloris, cum manus pedesque membra sint a corde remotissima. Diu autem vivere in cruciatibus tanquam horrendum supplicium inter omnia semper est habitum, unde Prudentius in agone Sancti Laurentii sic loquentem tyrannum inducit:

«*Perire raptim non dabo:
vitam tenebo et differam,
poenis moratam jugibus;
et mors inextricabilis
longos dolores protrahet*».

Cui potest non praepostere annecti, quod Seneca scribit: «*Misericordiae genus est cito occidere*» (*De Benef.* 2, 5).

Crux autem parabatur, ut moris erat apud Graecos et Romanos praesertim, ex obvio promptoque ligno, saepiuscule ex quercu, cujus lignum fitioni et laturae aptissimum inter cetera existimabatur. Tormentum autem crucis, quamquam receptissima significatione peculiariter notat et cruciatum

et interitum in ligno, similitudine quadam fixationem in alia paratura significat, puta in monte, aut petra. Sic Tertullianus: «Sunt cruces Caucasorum» (*Adv. Marcion.* I, 1). Et de Andromeda, quae in scopulo vincata et ceto exposita, Manilius dicit: «Et cruce virginea moritura puella pependit» (v. 552)

Nunc vero, si crucifixionem ipsam attendamus, aliquod apparet discrimen, minimi tamen ponderis ac momenti, inter Judaeos et Romanos, in diversa crucifigendi ratione. Romani igitur facinerosos clavis per manus ac pedes adactis suffigebant, Judaei vero funibus corpora alligabant. Crux autem ponebatur juxta vias locosque maxime certos. Cujus rei testis Quintilianus: «Quoties —inquit— noxios crucifigimus, celeberrimae eliguntur viae, ubi plurimi intueri, plurimi commoveri hoc metu possint» (*Decl.* 275). Ita Alexander Severus «eunuchum in crucem tolli jussit per eam viam, qua erat servis suis ad suburbana Imperatoria iter frequentissimum» (*Lamprid.* c. 23). Quin etiam oppida certa loca habuisse huic rei attributa videntur. Sic Mamertini «more atque instituto crucem fixerunt in via Pompeja» apud Ciceronem (*Verr.* 66). Eadem de causa saepe ponebatur in excelso montis vertice, idque in noxio aliquo insigni, teste Justino (XVIII, 7, 15): «atque in eum, cum ornatu suo in altissimam crucem in conspectu urbis suffigi jussit». Huc pertinet irrisio Gallae apud Suetonium (9, 4): «Cui imploranti leges, et civem romanum se testificantem, mutari, multoque praeter ceteras altio rem, et dealbatam statui crucem jussit».

Damnati vero crucem suam ipsi bajulabant, sicut de Christo Salvatore nostro Evangelistae testantur, quod jam apud Romanos usitatum fuisse efficitur ex hoc loco Plutarchi: «corpore quidem quivis scelestorum damnatorum suam portat crucem; nequitia vero supplicia singula ipsa sibi fabricatur». Vulgo moris erat damnatum in crucem jam defixam et erectam agere; sed non desunt exempla reorum, qui cruci in terra jacenti, alligari et deinde una cum illa erigi solebant.

Aliquando «tituli» quoque vel tabellae (apud veteres etiam «ellogium» dicebantur) quibus significabatur qua de causa is, qui supplicio afficiebatur, damnatus esset, vel in ipsa cruce defigebantur, vel etiam damnatus ipse portabat. Suetonius (*Calig.* 32) auctor est Romae in publico epulo, servum ob detractam lectis argenteam laminam, carnifici fuisse traditum, ut manibus abscissis atque ante pectus a collo propendentibus, praecedente titulo, qui poenae causam indicaret, per coetus epulantium circumduceretur.

Corpora ad crucem damnatorum, plerumque ad mortem usque affixa manebant; immo, non numquam custodibus additis, ne ab aliis possent auferri, post mortem quoque in cruce relinquebantur. Sic interdum a canibus avibusque discerpi poterant. Quin etiam nondum extinctis, leones atque ursos immittebant, qui eos laniarent; cujusmodi testimonia Suetonius ipse de Nerone refert. Aliquando rei inverso capite cruci affixi fuere, aliquando vero ad crucis pedem ignis succendebatur, ut damnati lentis flammis cremarentur.

POENA CRUCIS QUANDO IN USUM VENERIT

At undenam ducit originem crucis supplicium? Licet quaestio hujusmodi apud veteres auctores subobscura videatur, attamen haec non nulla praestabo.

Crux, ceu flagitiosorum poena, a Semiramis illa Assyriorum regina — vel potius a Sammuramat regis Assyriae uxoris — vertente saeculo IX ante Christum natum dicitur inventa. Quod quidem, si dubium cuidam aut incertum videatur, tamen veri quidem simile est. Nam si Platoni fidem facimus (*Rep.* II, 5), hoc infame supplicium ab Oriente originem traxisse videtur, inde in Graeciam, postea vero Romam invectum.

Omnia autem persuadent hoc genus supplicii a Graecis jam adhibere fuisse solitum. Sic certe apud Plutarchum legimus, Alexandrum Macedonem, suum medicum nomine Glaucum in crucem sustulisse. Teste autem Diodoro Siciliensi (XIX, 53), Dyonisius Syracusanus Graecos non paucos Poenorum socios cruci tradidit affigendos. Et alia non nulla sunt exempla, in quibus tamen non est necessitas immorandi. Constat enim crucis tormentum Graecos usurpasse, quippe qui omnia ista et alia quamplurima, quae tum in moribus tum in reipublicae moderamine apud eos viguere, aliis etiam gentibus illos tradidisse dicuntur. Quod si hac de re notitiam desideres ampliorem, auctores adeas consulendos.

At non solum a Graecis, verum etiam a Romanis crucis tormentum adhibitum. Apud Aurelium Victorinum (*Caes.* 41, 4) dicitur: «His vetus veterrimumque supplicium patibulorum». Et quidem jam inde a Reipublicae temporibus creberrime fuit addictum ad servos potissimum plectendos. Nimirum Livius (*Decad.* L, 26) auctor est poenam istam sub Tullii Hostili principatu originem habuisse. Nec obstat quod Cicero in oratione sua pro Rabirio referat verba illa funesta: «I lictor, colliga manus, caput obnubito, arbori infelici suspendito» fuisse Tarquini Superbi, nam populari quodam modo et ad causam adiecit orator, quasi diceret ea verba non Tarquinio tanquam a primo auctore traxisse principium, sed illo maxime digna et apud eum saepe saepius tormentum illud usitatum.

Apud Romanos, inquam, usque adeo in usu fuit, ut locus patibuli Romae situs extra portam Esquilinam, Sessorium appellatus, velut mons crucibus consitus interdum appareret, aviumque omne genus frequentatus.

Idem Romanis quod Graecis obtigisse apparet; haud dubium enim est servis hoc genus cruciatus apud eos irrogatum etiam fuisse. Ita Juvenalis: «Pone crucem servo» (*Sat.* VI, 219). Petronius autem: «Nec dii sinant, ut amplexus meos in crucem mittam» (86). Insuper Verrem civibus Romanis crucem minatum esse in aperto est.

Sed postea, labentibus saeculis, et Christi Servatoris religione jam per orbem latius propagata, Constantinus Imperator, crucem e numero

suppliciorum exemit sustulitque, ratus nefas esse, venerandam illam Christi figuram, in qua tribus clavis mundi Salus affixa pendit, inter damnatorum poenas haberi.

Et haec fere sunt, quae de crucis origine et declinatione colligere tantum potui.

Nunc vero ad illud veniamus:

QUIBUS SCILICET QUIBUSQUE DE CAUSIS CRUCIS SUPPLICIUM IRROGATUM FUERIT

Crucis infamia clarissime alio ex capite patet: ex eo porro quod non nisi vilissimo ac sceleratissimo hominum generi consuevit irrogari. Quam ob causam apud antiquos «arbor infelix», «infame lignum», «cruciatu servilis», cetera fuit appellata. Itaque Ulpianus (L. 8 ad legem Corn.): «Si liberi sunt, inquit, ad bestias dari; si servi, supremo supplicio affici». Summi autem supplicii quidam Jurisconsultus (*Paull. Sent. V, 21*) recenset tria, ut diximus, genera: «crucem, cremationem, decollationem». Crux autem praecipue, quam ob rem extrema quidem poena dicta fuit. Apullejus autem (*Metam. X, 327*): «Certum extremae poenae, quae more majorum in eum competit», loquens de cruce.

Servi ergo, crucis supplicio afficiebantur, unde servus ille apud Plautum in sua fabula «Miles gloriosus» (II, 4, 9) dicit:

«Noli minitari; scio crucem futuram
mihī sepulchrum
Ubi mei majores sunt siti».

Quasi diceret: «Minas abjice. Mihi sat persuasum habeo, servus enim sum, fore ut crux sepulchrum mihi contingat, sicuti patribus meis itidem contigit».

Item Hirtius (*Bell. Hisp. 20*): «Prehensi —inquit— servi tres, et unus e legione vernacula. Servi sunt in cruce sublatis, militi cervices abscissae». Et Cicero in quadam epistula (*Ad Att. XIV, 15, 1*): «O mirificum Dollabellam meum: magnam ἀνθεώρησιν res habet: de saxo in crucem»; significans nempe servos in crucem actos liberos de saxo praecipitatos.

Veruntamen, non adiciebantur servi huic supplicio levi quadam de causa, sed propter gravissimum aliquod scelus, puta falsam delationem in dominum, machinationem, insidias, fugam, cetera. Itaque Horatius (*Sat. I, 380*) invehitur in heros, qui propter leve delictum servos in crucem sustulisse dicebantur:

«Si quis eum servum, patinam qui tolleret jussus
Semesos pisces, tepidamque liguriit offam,
In cruce suffigat, labeone insanior, inter
sanos ducatur»

Verum liberi etiam homines in crucem agebantur, sed plerumque

viliores nocentioresque, quales, exempli ergo, latrones, praedones, sicarii, falsarii et alii hujusmodi.

Ceterum, supplicium hoc, opera triumviri per carnificem sumptum est. Sic Cicero in sua oratione pro Rabirio, de qua supra jam rettulimus, gloriatur de exitu causae, eleganter dicens, «se carnificem de foro, crucem de campo sustulisse».

Age jam, de verberatione, quae plus minus semper vel fere semper crucifixioni praeibat, testatur idem Tullius in suo libro de Divinatione, cum dicit: «Servus per circum cum virgis caederetur, furcam ferens ductus est». Verberatio vero fiebat per lictorem, unde illa verba sollemnia: «I, lictor, colliga manus, sontem virgis caedito».

Flagella autem asperrima ubique erant, adeo ut multi sub flagellis occubuisse dicantur, cum insertis ossiculis aut clavis etiam asperarentur.

His dictis, quae de crucis argumento alia bene multa dicenda remanent, ut verbi causa, de varia crucis forma, deinde de ratione qua apud graecos et Romanos crucis sontes affigerentur, aliaque minicris quidem momenti, quia jam satis apud auctores hodiernos longe lateque tractantur, hic omitto. Haec solummodo subjiciam: ex eo quod crux supplicii genus omnium gravissimum exstitit, itaque existimabatur, majoremque prae aliis infamiae notam inurebat, tam vulgaris, ut ita dicam, apud veteres fuit, ut poenas fere omnes et cruciatus hoc nomine insignirent. Sic animi quoque morbos, casus infaustos omnes, et quasvis afflictiones, eadem denominatione significata fuere. In colloquio insuper familiari nonnulla more vulgato dicebantur ad sensus irae furorisque passim exprimendos, ut «Abi in malam crucem», vel «Quae te mala crux agit», et alia hujusmodi. Immo, summum jus summam putabant crucem, ut aptius videlicet exprimerent nimium justitiae rigorem. Quid quod crucis nomen in animi corporisve dolores, inque jejuniorum etiam macerationes optime cadere christiani quoque postea censuerunt? Quod certe apud nos, ut omnes quidem testes sumus invaluit.

CRUCIS INDIGNITAS AD SUMMUM GLORIAE FASTIGIUM A CHRISTO EJECTA

Nunc denique expendamus quandonam crucis poena pristinum amiserit usum finemque sortitum fuerit. Ut dicebam, vergentibus saeculis, honori haberi coepit et in gloriam evasit, apud christianos praesertim, omnesque qui Christi Servatoris vestigia sunt prosecuti.

Ubi enim mundi Conditor propter hominum salutem calicem hausit passionis, ubi «proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta» (*Hebr. 12, 2*), hanc mentem et affectum sanctis hominibus immisit ut, metu Crucis sublato, non modo patienter, sed etiam alacriter propter illum illam perferrent et summam in ea dignitatem et gloriam collocarent.

Et re quidem vera Crucis laborum, quos Christi gratia patiuntur homines, dignitas atque sublimitas eos ad eorum amorem excitare debent. Omnes namque hi labores a Christi Cruce gloriam et dignitatem trahunt. Quid enim dominicam Crucem tantopere honoravit, quae antea flagitiosorum supplicium erat nisi quod in ea Christus Dominus passus est, eamque sacratissimi corporis sui contactu nobilitavit?

Ac proinde est quod Crucis sui gloria Dominus eadem, qua ipse, via, quaque omnes electi ingressi sunt procedere voluit, ut quem ad modum is et membra ejus per humilitatis viam ad celsitudinis gloriam pervenerunt, ita etiam Crucis suae vexillum, ex summa abjectionis ignominia, ad summum gloriae fastigium devenire voluerit. Itaque, tantum splendorem, dignitatem tantam, crucis signum sibi comparavit, ut Constantinus ille Magnus, omnesque reges et imperatores signis militaribus inseruerint. Neque signis tantum, sed etiam militum armis, clipeis et galeis, necnon et regum purpuris et diadematis. Possum auctorum testimonia afferre non pauca, praesertim Prudentii, qui passim hac de re in suis versibus agit. Sed illud divi Hieronymi ad Laetam scribens meminisse sufficiat: «Regum —inquit— purpuras, et ardentes diadematum gemmas patibuli Salvatoris pictura condecorat». A supplicis ergo latronum transit ad frontes imperatorum, et quae antea probro erat hominibus, nunc summo honori haberi coepta est. Quin et hunc ei Dominus honorem contulit, ut eadem adoratione, qua ipse, quin in illa pendit, adoratur, ipsa quoque adoretur.

Neque hoc satis, nam his honoribus minime contentus, qui perpetuo cum saeculo durabunt, post saeculum etiam extremum illi adiciet honorem. Tunc enim —ut idem Dominus ait— «apparebit signum Filii hominis in caelo», hoc est, pretiosum Crucis vexillum, quod cunctis astris longe splendidissimum fulgebit.

Sic foedissimum crucis tormentum ipse in Dei gloriam hominumque transtulit. Sic, inquam, horrenda crucis infamia in regum famam sanctorumque splendorem transivit; adeo ut, jure meritissimo illam carmine viri cujusdam elegantissimo, nobis prosequi liceat:

«Supplicium servorum olim, nunc gloria regum,
Mors olim miseris, nunc data vita reis,
Crux, solium currusque Dei, spes unica mundi,
Sis via, sis nostrae porta salutis, Ave».

LEO M. SANSEGUNDO, OSB

Ex Monasterio Montis Serrati

Ad BARCINONEM

(In HISPANIA)

*Deus, Deus meus,
ut quid dereliquisti me?*

(*Marc, XV, 34*)

*Vesper adest: altis descendunt montibus umbrae;
Tota etiam rerum compages territa languet,
E cruce dum tonat ingens vox audita superne
Latos per tractus terrae caelique profundi,
Clamans: «Cur, Pater, heu! me linqvis? Me, Pater, eccur?»*

*Tum orbe tremente ex imis en vox altera ab alto
Judicis aeterni miserentis semper et aequi
Respondet: «Maledictum! Ligno tu crucis haeres?
Numquis non maledictus de crucis arbore pendens?
Tu pendes «Maledictum» factus et ipse libenter!»*

*«Sic, Pater! Oh, fiat placitum quod iusseris omne!»
Omnia consummans quae de me scripta tuere,
Gaudens in manibus commendo animamque repono.
Mortem at perfringam vexillaque regis Averni!*

*Tunc dextraeque tuae, Pater, haerens omne per aevum,
Compellam precibus Te Regem abscondita pandas
Gaudia quaeque parata merentibus omnibus illis
Intus stultitiam qui Christi discere norint!»*

ALOISIUS LI CALSI

PANORMI

(IN ITALIA)

Quae Lucia senserit suis montibus valedicens

1. Cum ne minima quidem ¹ adspiraret aura ², lacus tam aequus tamque planus ³ patebat, ut quasi immotus videretur, nisi luna, tremulo effulgens lumine ⁴ leniterque fluctuans ⁵, e medio caelo renideret undis ⁶.

2. Auribus tantum percipiebatur ⁷ modo aestus, qui a glareis ⁸ leviter frangebatur, modo longius murmur aquarum illidentium pila pontis, modo eorum remorum ad numerum cadentium rumor, qui, ubi caerulea aequora ⁹ lacus diffiderant, statim innumeris manantes guttulis exhibant, ut iterum iterumque in aquas mergerentur.

3. Undae autem a lentre divisae, pone rursus coeuntes, crispum quendam sulcum fluctibus imprimebant ¹⁰, qui magis atque magis a ripa recedere videbatur. Fugitivi interea taciti, capitibus aversis, nunc aspiciebant montes, nunc regionem lunae radiis conlustratam passimque magnis variatam umbris.

ADDIO MONTI*

1. Non tirava un alito di vento: il lago giaceva liscio e piano, e sarebbe parso immobile, se non fosse stato il tremolare e l'ondeggiar leggiro della luna, che vi si specchiava di mezzo il cielo.

2. S'udiva soltanto il fiotto morto e lento frangersi sulle ghiaie del lido, il gorgoglio più lontano dell'acqua rotta tra le pile del ponte, e il tonfo misurato

di que' due remi, che tagliavano la superficie azzurra del lago, uscivano ad un colpo grondanti, e si rituffavano.

3. L'onda segata dalla barca, riunendosi dietro la poppa segnava una striscia increspata, che s'andava allontanando dal lido. I passeggeri silenziosi, con la testa voltata indiestro, guardavano i monti, e il paese rischiarato dalla luna, e variato qua e là di grand'ombre.

1. *Cic., Tusc. 231 b apud Nizol:* nulla ne minima quidem aura fluctus commovente. — 2. *Verg., Aen. VII, 8:* adspirant aerae. — 3. *Cic., Caecin. 17:* aequus et planus. — 4. *Verg., Aen. VII, 9:* tremulo lumine. — 5. *Fluctuo proprie est fluctibus agitor, sed transfertur ad lumen repercussum. Verg., Geor. II, 281:* ac late fluctuat omnis aere reidentis tellus. — 6. *Horat., Od. II, 5, 12:* pura nocturno renidet luna mari. — 7. *Cic., Orat. 2, 8:* auribus percipere. — 8. *Cic., Q. Fr., 3, 1, 2:* glareae = ghiaia. — 9. *Aequor est aequus locus, planities; frequentius de mari dicitur, praesertim apud poetas — ut docet Cicero — aequor illud poetae vocant* (*Cic., Acad. 2*), nos vero Itali: superficies del mare, di un lago. — 10. *Cic., Div. 2, 23, 50:* sulcum imprimere.

* *I Promessi Sposi, cap. VIII^o. Ed. Aldo Palazzi, Milano, 1964.*

4. Pagi, domus, casae discernebantur, atque illius Roderici aedes, quae, haud edita turri, subjacentibus constipatisve domunculis imminentes ad promontorii¹¹ radices quandam feri hominis cogitatione depingebant imaginem¹², qui stans in tenebris atque in frequenti dormientium numero evigilans, aliquod scelus concipere¹³ vellet.

5. Lucia tota fremuit et horruit, postquam eas aspexit¹⁴. Primo¹⁵ oculis deorsum usque ad pagum declivia perlustravit, deinde etiam atque etiam parte extrema perspecta, casam, ficum patulam comatamque ex areae¹⁶ maceria¹⁷ eminentem, fenestram sui cubiculi dignovit, postremo, cum in ima linitris sederet parte, in ejus margine posuit brachium, in brachium frontem tamquam dormitura declinavit, ibique se totam tacitis lacrimis tristitiaeque tradidit¹⁸.

6. Valetate, montes ab aquis adsurgentes¹⁹, caeloque minantes²⁰; vertices²¹ inaequales, et noti et cogniti²², qui inter vos adolevit aetate, inque ejus animis impressi²³ non minus quam ora et vultus²⁴ suorum; torrentes, quorum vel sonitus is discernit, non secus ac voces familiarium; vici per declivia conspersi et albescentes, velut ovium greges pascentium, valetate!

4. Si distinguevano i villaggi, le case, le capanne: il palazzotto di don Rodrigo, con la sua torre piatta, elevato sopra le casucce amucchiate alla falda del promontorio, pareva un feroce che, ritto nelle tenebre, in mezzo a una compagnia d'addormentati, vegliasse, meditando un delitto.

5. Lucia lo vide, e rabbrivì; scese con l'occhio giù giù per la china, fino al suo paesello, guardò fisso all'estremità, scoprì la sua casetta, scoprì la chioma folta del fico che sopravanzava il muro

del cortile, scoprì la finestra della sua camera; e, seduta, com'era, nel fondo della barca, posò il braccio sulla sponda, posò sul braccio la fronte, come per dormire, e pianse segretamente.

6. Addio, monti sorgenti dall'acque, ed elevati al cielo; cime inuguali, note a chi è cresciuto tra voi, e impresse nella sua mente, non meno che lo sia l'aspetto de' suoi più familiari; torrenti de' quali distingue lo scroscio, come il suono delle voci domestiche; ville sparse e biancheggianti sul pendio, come branchi di pecore pascenti; addio!

11. Cic., Verr. 7, 56: promontorium; legitur etiam in opt. codicibus: promunctorium, promuntorium, promunturium. — 12. Cic., N. D. I, 15, 39: imaginem cogitatione depingere — 13. Cic., Verr. 2, 4, 32: scelus concipere. — 14. Terent., Eun. I, 2, 3: totus tremo et horreo postquam aspexit haec. — 15. Cic., Rosc. Am. 9, 26: primo... deinde... postremo — 16. Forcellinius, III, 374: area = cortile. — 17. Cic., Fam. 16, 18, 2: nulla maceria, nulla casa. — 18. Cic., Fam. 5, 14: se tradere lacrimis et tristitiae. — 19. Tacit., Ann. 13, 38: colles adsurgentes. — 20. Sil., 4, 2: saxa minantia caelo; Verg., Aen. 1, 162, minantur in caelum scopuli — 21. Cic., Verr. 2, 4, 48: vertex = cima di montagna. — 22. Cic., frag. contra C. Ant., apud Ascon.: notus et cognitus. — 23. Cic., N. D. I, 16: in animis imprimere. — 24. Cic., Deiot. 2: in tuo ore vultuque.

7. Heu quam tristis, qui inter vos natus est et altus²⁵, a vobis discedit! Illi ipsi, quia sua sponte iter suscipit²⁶, spe adductus alibi amplificandae fortunae²⁷, divitiarum somnia inania redduntur²⁸, stupetque quo modo consilium ceperit ut²⁹ illinc exiret, immo eo iterum rediret, ni cogitaret se aliquando pecunia onustum demum reverti posse.

8. Quo magis in campestria loca progreditur, eo magis oculos fastidio taedioque affectos, illinc avertit quod tantum spatii semperque idem pateat; aër autem ei crassus³⁰ videtur atque iners; in medias tumultuosas urbes incuriosus maestusque procedit; tot illae domus domibus conjunctae, tot viae ad vias alias ducentes, cuncta ei elidere spiritum³¹ videntur; quin etiam quae moles magnam advenarum admirationem movent³², eas neglegens, cogitatione ac desiderio ad patrium praediolum advolat, ad domunculam, cui jam diu oculos adjecit³³, quamque, cum vix locuplex et pecuniosus³⁴ ad montes suos redierit, sese empturum sperat.

9. Quid vero de eo dicam, qui, cum ne celeri mente umquam ultra montes perrexerit, inque illis consilia omnia omnesque spes reposuerit³⁵, illinc tamen perversa quadam vi deiciatur? Quid de eo, qui a dulcissima vitae consuetudine³⁶ abreptus, ex omni spe deturbatus³⁷, illos relinquat montes, ut

7. Quanto è tristo in passo di chi, cresciuto tra voi, se ne allontana! Alla fantasia di quello stesso che se ne parte volontariamente, tratto dalla speranza di fare altrove fortuna, si disabbelliscono, in quel momento, i sogni della ricchezza; egli si meraviglia d'essersi potuto risolvere, e tornerebbe allora indietro, se non pensasse che, un giorno, tornerà dovizioso.

8. Quanto più s'avanza nel piano, il suo occhio si ritira, disgustato e stanco, da quell'ampiezza uniforme; l'aria gli par gravosa e morta; s'inoltra mesto e disattento nelle città tumultuose; le

case aggiunte a case, le strade che sboccano nelle strade, pare che gli levino il respiro; e davanti agli edifizii ammirati dallo straniero, pensa, con desiderio inquieto, al campicello del suo paese, alla casuccia a cui ha già messi gli occhi addosso, da gran tempo, e che comprerà, tornando a' suoi monti.

9. Ma chi non aveva mai spinto al di là di quelli neppure un desiderio fuggitivo, chi avevo composti in essi tutti i disegni dell'avvenire, e n'è sbalzato lontano, da una forza perversa! Chia, staccato a un tempo dalle più care abitudini, e disturbato nelle più care speranze,

25. Cic., Brut. 10: urbs in qua nata et alta est eloquentia. — 26. Cic., Sest. 33, 71: iter suscipere. — 27. Cic., Amic. 16, 59: spe amplificandae fortunae. — 28. Cic., Verr. 4, 34: nudam atque inanem reddere. — 29. Cic. Att. 7, 10: consilium cepit ut exirem. — 30. Cic., Acad. 4, 25: aër crassus. — 31. Plin., 25, 7, 5: elidere spiritum. — 32. Cic., Phil. 10, 2, 4: admirationem movere. — 33. Cic., Verr. 2, 2, 15, 37: adicere oculos hereditati. — 34. Cic., Rosc. Com. 15: locupletes et pecuniosi. — 35. Cic., Tusc. 12: in se omnem spem sui reponere. — 36. Cic., Orat. 1, 52, 224: vitae consuetudo. — 37. Cic., Fam. 5, 7, 1: ex spe deturbare.

ignotis hominibus, quos numquam cognoscere optaverit, occurrat, nec mente assequi possit tempus redeundi praestitutum?

10. Vale, natalis domus, in qua sedens puella, multa animo et cogitatione percurrens³⁸, sonitum dignoscere didici communis incessus ad illius gressus sonitu, qui arcanam et trepidam in me expectationem concitabat³⁹.

11. Vale, domus ad hoc usque tempus aliena, domus, quam saepe, nec sine quodam pudore transiens aspexi; in qua jam, tamquam in tranquillo et diuturno domicilio me dominam esse fingebam!

12. Vale, templum, unde post Dei laudes elata voce sublatae, toties animus levatus rediit; in quo sacrum nuptiale et promissum et paratum erat, in quo expectata res erat sollemni ritu sacrandae, et amor jubendus et dicendus sacer: vale!

13. Qui tot tantamque vobis laetitiam dabat⁴⁰, omnibus est locis, nec umquam filiorum gaudium conturbat, nisi ut eis aliud firmius aliud plenius comparet. Si non haec ipsa, hujusmodi erant quae Lucia, quae reliqui vectores cogitabant, dum linter eos vehit ad dexteram Adduae ripam.

lascia que' monti, per avviarsi in traccia di sconosciuti che non ha mai desiderato di conoscere, e non può con l'immaginazione arrivare a un momento stabilito per il ritorno!

10. Addio, casa natia, dove, sedendo, con un pensiero occulto, s'imparò a distinguere dal rumore de' passi comuni il rumore d'un passo aspettato con un misterioso timore.

11. Addio, casa ancora straniera, casa sogguardata tante volte alla sfuggita passando, o non senza rossore; nella quale la mente si figurava un soggiorno tranquillo e perpetuo di sposa.

12. Addio, chiesa, dove l'animo tornò tante volte sereno, cantando le lodi del Signore; dov'era promesso, preparato un rito; dove il sospiro segreto del cuore doveva essere solennemente benedetto, e l'amore venir comandato, e chiamarsi santo; addio!

13. Chi dava a voi tanta giocondità è per tutto; e non turba mai la gioia de' suoi figli, se non per prepararne loro una più certa e più grande. Di tal genere, se non tali appunto, erano i pensieri di Lucia, e poco diversi degli altri duo, pellegrini, mentre la barca gli andava avvicinando alla riva destra dell'Adda.

Alessandro Manzoni

FRANCISCUS ALOISE

Ex Seminario Pontificio

Ex urbe Regio (REGGIO) in Calabria

(In ITALIA)

38. Cic., *Orat.* 1, 50: multa animo et cogitatione percurrere. — 39. Cic., *Fam.* 2, 1: concitare magnam expectationem. — 40. Cic., *Planc.* 42, 103: laetitiam alicui dare.

PETRUS SCLOPETARIUS

(•PISTOL PETE•)

Perpaucae jam restant reliquiae illius vitae quae olim in regionibus Americae occidentalibus agebatur quaeque in teleoramate repraesentata homines ubique gentium hodie delectat. Aliud illorum dierum nuper oblitteratum est documentum, nam Petrus Sclopetarius spiritum duxit supremum.

Petrus profecto ille grandaevus cum pace domi suae in lectulo diem obiit supremum, caligis armentarii propter lectulum positus, sclopetis de pariete pendentibus.

Hoc valde mirum, quia ab eis qui septuaginta, immo octoginta abhinc annos comites multorum itinerum sociique, cum boves ad ferriviam agerentur, unde ad lanienam mitterentur, eum non modo armentarium sed etiam pacis custodem duobusque armatum sclopetis, in regione ad facinora audacibus nefariisque hominibus scatente, cognoverant, praedicebatur eum caligatum utroque sclopeto fumifero periturum.

Quod Petrus, cum juvenis valde temerarius fuisset, nonagesimum septimum annum explevit, peritiae sclopetorum tractandorum (duo semper gerebat) atque robori virtutique, Forte Fortuna non ommissa, debuit. Enimvero in mediis periculis usque versatus saepius quam universi armentarii qui in teleoramate spectantur sese in aleam discrimenque vitae dedit.

Olim videlicet in oppido Albuquerque glandibus vulneratus est. Nunquam quicquam propius factum est quam ut interficeretur. Neque alias graviter vulneratus est.

Anno saeculi praeteriti octogesimo primo Petrus hic, cui reapse nomen Francisco, id temporis unum et viginti annos natus, verum litteris administrationis Guasintoniensis in illa regione custos pacis vicarius factus, exlegem quendam, Wiley Campsey, illum quidem duorum facinorum argutum, quem capere volebat, non modo quod caede in territorio Oklahomensi noxius esset sed quod unus ex sex hominibus fuisset qui domum irrumperentes patrem nostri Petri quattuordecem ante annis occiderant ad civitatem Novam Mexicanam secutus erat.

Hic tum non plus octo annos natus, cui nomen Petro nondum inditum, cum patrem trucidatum vidisset, sponderat atque in se receperat ultionem patris necati se esse exacturum ex homicidis quos, utpote qui vicini essent, cognoverat.

Quo tempore forte in vestigia illius Wiley incidit, quattuor interfectores patris jam pridem sustulerat. Alius autem eum ab opera absolverat, qui in alea effecisset ut ipse occideretur. Wiley qui in regiones occidentales aufugerat, cum a Petro repertus est, oenopolium exercebat.

Hoc modo secundum Petrum de rebus gestis suis scribentem res acta est. Ipsum in oenopolium ingressum, sclopetis non strictis sed ad celeriter stringendum paratis, Wiley rogavit: «Quid tu, Pusio, quaeris?». «Te», respondit ille pusio. Wiley subinde duobus vappis annictans qui prope sedebant desides quique ille modo incurioso et quasi furtim appropinquabant, «Men'», inquit, illis malefactoribus jam stipatus, «quid istuc dicere vult?».

«Num mei memor es, Wiley?».

«Minime. Te nunquam antehac vidi».

«Immo, vidisti! qua nocte patrem meum necasti. Est mihi nomen Francisco Eaton. Num meministi? Manum comple, (i. e. sclopeto prehensum manum completeret), nequam homicida.

Illi tres sclopetas capessere. Petrus idem facere. Utrumque Petri sclopetum rudere. Ipse Wiley et alter malefactor sclopetis etiamnum silentibus, cecidere. Alter duas glandes emisit quarum altera Petri brachium, altera crus vulneravit, tum cecidit.

Geraefa, ipse celeberrimus ut qui quendam latronem famosum interfecisset, Petro equum appetenti auxiliatus est. Tum Petrus cujus vulnera amici geraefae paulisper maxima cura sanaverant, valetudini restitutus domum rediit, ubi in quodam latifundio operam locavit.

Illo tempore quod coloni territorium intrabant et vita tranquillior agebatur, Petrus, uxore ducta, parvum fundum emit. Atqui mores antiquos servabat neque per totam vitam vestimenta deposuit quae primi armentarii affectarant. Itaque quodcumque conventus eorum qui primi in illas regiones penetrarant vel ab his natorum habebantur, is similitudinem speciemque dierum praeteritorum praebebat et in omnium oculis versabatur. Is enim vero more Amerindorum capillo erat promisso plexoque atque more armentariorum geraefarumque mystacem promittebat in modum antennarum. Thoracem quoque daedalum, caligas illas armentaris affectatas, petasum praegrandem, sive ut quam bene possim verbum nostrum Latine reddam, amphoralem, vaginasque binas sclopetis Colts refertas gerebat. Ipse statura erat mediocri, macer, cute coriacea. Annos natus septuaginta sex in certamine in quo equo immansueto et sederet et adhaereret et juvenum fune jacto captum vel brevissimo temporis spatio ligaret, praemium abstulit. Postea duo et nonaginta annos natus se tam peritum esse sclopetorum demonstravit ut spectatores stuperent. Juvenis autem a scopo viginti passus semotus, brachiis stans extensis et manus, in quibus inversis nummi positi erant, lente vertens dum nummi caderent, sclopetis tum ereptis, glandes per medium scopum ante mittebat quam nummi humum tangerent.

At cum mater post mortem patris iterum nupsisset, familia demigravit. Nondum Petrus Sclopetarius cognomine sed Franciscus Eaton appellabatur. Haud immemor patris occisi, ad quem ulciscendum animus ejus intentus erat, antiquis sclopetis quibus potitus erat se usque exercebat, dum erectam

viperam decem passibus semotam altera utraque manu gladio detruncare posset.

Primum quindecim annos nato princeps cuiusdam tribus Amerindae sclopetum Colts dedit. Mox nemo hoc puero sclopetorum peritio esse dicebatur. Atqui vix contentus ad castra exercitus Americani propinqua se contulit, ubi quidam speculator iam senex eum arte sclopetaria e vagina scite stringendi tam exacte accurateque erudiit ut propediem omnes milites et illos quidem mirabundos superaret. Praefectus castrorum igitur insigne ei donavit et dixit: «Ex hoc die tibi nomen erit Petro Sclopetario».

Anno saeculi praeteriti septuagesimo septimo Petrus tum septendecim annos natus a iudice qui in illa regione leges nomine Civitatum Foederatarum exercebat, et quidem ob severitatem claro in territorio Arkansas dicto custos pacis creatus est. Quod illud territorium latronibus, homicidis, abactoribus boum atque omne genus hominibus nequam refugio erat, persaepe ei opus erat sclopetis, quibus in utendis hoc praeceptum usque tenebat:

«Emitte glandem tu prior, quam ut recta destines, cave». Praeceptorum neque illius speculatoris qui eum sclopetaria cito stringere docuerat: «Noli unquam socors fieri, nequis furcifer tibi superstes sit», unquam oblitus est.

Olim magnanimitatem tantam exhibuit ut vitam periclitaretur. Praedam in caupona consecutus erat. Dum prandent, ipse atque exlex disputarunt de ratione rei sclopetariae discernendae. Hoc pactum est. Petrus autem sclopetis paucillulo citius strictis sclopetum adversarii e manu gladio excussit. Glans autem alterius aurem Petri tantum non incidit. Captivo ad carcerem ducto noster geraefae dixit se vivum adducere voluisse. Hic autem imperavit ne postea unquam in tam dubiam vitae aleam iret.

Interim quodcumque latrones praedonesque non sequebatur, armentarium agebat, nempe equos domabat, boves curabat vel armenta ad ferriviam illo tempore saepe longinquam cogebat unde ad confectorium aveherentur. Apud societates quoque magistrorum latifundiorum ut inquisitor ad abactores boum indagandos operam locabat. Haec dum agit, in notitiam venit nonnullorum in illis regionibus celebrium, in quibus Carolus Seringo armentarius inquisitorque notissimus. Aliquando cum noster Petrus, Carolus Seringo multique alii magnum gregem armentorum ex latifundio, longo itinere difficilique ad ferriviam actum, emptoribus mandassent, hi se ad cauponam animo indulgendi gratia contulerunt ubi non modo potabatur sed etiam cum puellis ibi cessatricibus saltabatur.

Aderant quoque frequentes operarii ferriviarii, quorum nonnulli ebrii neque rixis alieni, homines incultissimi pugnacissimique, debacchabantur. Rixa ac prope proelium subito conflatum est ad quod quae rixae in teleoramate videri solent nihil sunt. Unum ex ferriviariis puellam quacum Petrus saliebat adimere conantem vir noster pugno in ventrem ingesto profligavit. Illi quidem confestim ad auxilium sodalis prostrati exsilire, armentarii autem haud segnes Petro subvenire, tum alii ludibundi proeliantibus immisceri.

Tumultus horrendus, immanis exortus est. Proeliantes clamare, vociferari, execrationes jactare, sedilia jaculari, puellae ululare, sclopeto boare dum lagunculae poculaque effringuntur. Tandem aliquis lumina glandibus exstinxit. Exinde armentarii erumpere, in equos insilire ac se inde domum facessere, caupona omnino diruta et grege ferriviariorum pessime obtusorum suillatorumque relicto quos geraefa continuo in carcerem conjecit.

Fuit olim semita longa difficilisque, non modo celebris sed etiam multum cantata, Chisolm Trail vocata, qua multos per annos boves a Texade in Kansadem ad ferriviam agebantur. Hoc iter septies fecit. Aliquando dum iter facit maximam indignitatem pertulit. Hoc tempore scilicet capillus tam promissus erat ut sub cingulum colligi posset. Hoc fortasse ceteris armentariis in fastidio erat aut id per jocum fecerunt. At ipsum audiamus dicentem: «Comites mei ajebant», inquit, «se esse me tonsuros. Ad plaustrum coquinarium retrogressus, sclopetis paratis, eos monui desinerent me tangere, ne Orcus apud se jentantia nova ora cerneret. Atqui dux sub plastro a tergo surrepens, pedibus arreptis, me appronavit; dein pueri insiliente scultro me totonderunt. Quid agerem? Risi. Nihil aliud, mehercle, est quod agas superatus».

At armentarii qui in teleoramate videntur odio fervido Petro erant, qui dicebat in toto grege ne unum quidem verum armentarium inveniri posse. Cum pro indigena haberi potuisset et totam fere vitam ibi egisset, tamen non ibi sed Hartfordiae Connecticutensium a. d. VII Kalendas Novembris MDCCCLX natus est.

Nonnunquam Fors Fortuna ei favit. Olim puella quam in matrimonium petebat numisma religiosum ei dedit quod de collo pendens gereret. Aliquamdiu post in pugna acri cum abactoribus, quos ipse cum grege suo indagaverat, subito magno ictu pectori ingesto tantum non dejectus est. Postea in caliga glandem repperit quae emblemate prohibita erat ne eum interficeret. Nuptias autem cum hac mors intempestiva praevenit. Aliam postea duxit quae duas filias enixa est. Qua mortua et aliam duxit quae aliquot filios filiasque peperit.

At quid tam perversum praeposterumve excogitari possit quam ut vitam tam saepe periclitatus non glande, non sica perierit sed, dum domo exit, glacie in gradu lubrica lapsus, femur fregerit?

Superstites ei erant novem liberi, unus et triginta nepotes neptesque, duodeviginti proneptes proneptesque, tres abneptes abnepotesque.

At non omnis mortuus est. Vicus enim quem habitavit hoc cive celebri gloriatus secundum vias tabulas statuendas locavit: HIC HABITAVIT PETRUS SCLOPETARIUS. Quod amplius est, in insigni universitatis Oklahomensis depictus hic armentarius veteranus usque vivit.

DR. GOODWIN B. BEACH

52 Orchard Road

WEST HARTFORD 17, Conn. (U. S. A.)

P E R O R B E M

«*Rivulis canentibus*» quibus Exmus. vir Hamletus Tondini res leves venustasque naturae exprimere voluit, rivulum suum cimus. poëta Franciscus Aloise consociavit, quibus de edito libello, limpido cantico auctori gratiam habet. Inscriptionem legite quam Franciscus Aloisse epigrammatis latinis et graecis «*Rivulis canentibus*» H. Tondini dicavit: ¹

Quam bene decurrens canis in viridantibus herbis
sed te non ullus, rivulus pure, videt!

Aestibus in mediis mihi dulcius esse videtur
nil puris lymphis, rive canore, tuis!

Συνεχές, ἡ καθαρὸν ρεῖθρον ῥύον, ὡς γλυκὺ φωνεῖς,
ἐν χλωραῖς ποίαις ἀλλὰ σε δ' οὗτος ὄρα.

Ἐ ρεῖθρον λιγύ, σου δ' ἀχραοῦς ὕδατος οὐδέν
ἕδιον ἐν θερμοῖς καύμασιν ἐστὶν ἐμοί.

Inventa archaeologica. — Post laboriosas effossiones ad Rhodam (ad Gerundam in Hispania) perductas, figlina varia quae ad s. V et VI a. Ch. n. referuntur, inventa sunt eaque ex Magnae Graeciae civitatibus originem ducere videntur.

—Murciae in meridiana Hispaniae regionibus, dum domus ad s. XVIII pertinens evertebatur, amphorae specimen repertum est, qua juxta Musei Archaeologici moderatoris sententiam nulla est in Hispania mirabilior. Vas ad s. IV a. Ch. n. pertinet. Quindecim centimetra alta venustaque porcellana efficta, imaginem Herculis duorumque ephorum graecorum habet adumbratam. Ex aliis hic quoque inventis, necropolis iberica fuisse a peritis colligitur.

—In villa Lusitana quae appellatur «*Turres Novae*» (*Torres Nuevas*) operis vermiculati fragmenta effossa sunt quibus hic est latinus titulus a cimis. professoribus Scarlat Lambrino et Ioanne Couto interpretatus:

VIVENTES / CARDILIVM / ET AVITAM / FELIX TVRRE

1. Pulcher a Francisco Aloise nuper in lucem editus est fasciculus cujus inscriptio «*Mons. Amleto Tondini, epigrafista moderno*», quo ostenditur Exmum. Hamletum Tondini esse «*il padre dell' epigrafia lirica latina moderna*».

De lingua Graeca. — Per commentarios certiores facti sumus sermonem graecum communem seu quo plebs hodie in Graecia loquitur (δημοτική) ut publicum scholarum sermonem invecum iri; quo lingua expurgata (καθαρεύουσα), quae ita a viris cultis appellatur atque adhibetur, delebitur... Hujus rei ratio est cur lingua qua populus loquitur juxta grammaticorum leges firmiorem fidem majoremque auctoritatem habeat quam qua eruditi utuntur.

Litterarum latinarum et graecarum certamen. — Occasione oblata qua centesimus annus a domo editrice condita «Kraft» agitur (cujus est sedes in Argentina) certamen inter nationes de scriptoribus latinis et graecis in linguam hispanicam convertendis institutum est, classicum cultum vulgandi causa. Opera quae hispanice reddenda sunt accipite lectores: ex Aeschylo et Sophocle opera septem; ex Euripide novendecim, ex Aristophane undecim, ex Plauto viginti, ex Terentio sex.

En quibus certamen regitur condiciones:

1. — Conversio fieri debet ex textu primitivo graeco vel latino. Referenda est editio vel editiones quae ad id adhibitae sint.

2. — Addentur notulae seu commentaria quibus scriptorum verba illustrentur.

3. — Versiones quae praemio decorentur, in lucem edentur gentibus quae lingua hispanica utuntur.

4. — Interpretes qui praemium mereantur, decies centena milia ponderum argentinorum accipient, quae pro rata parte inter eos distribuenda erunt.

5. — Opera seu conversiones ad domum editricem «Kraft» (Moreno 972, Buenos Aires) mitti debent. Quae opera tempus mittendi die 31 mensis Martii hujus anni 1965 clauditur. Strenue, bonarum artium cultores, rem gerite!

Lingua latina non rejicienda sed colenda. — Concilium Oecumenicum II Romae coactum facultatem dedit ut linguas patrias adhiberentur quibus captu faciliora sacra mysteria hominibus fierent. Hac vero permissione non significatur linguam latinam in exilium pelli debere... Pro latinitate tuanda plurimae gravesque voces nuper intentae sunt.

Tres abhinc menses Summus Pontifex Paulus VI in Monte Casino linguam latinam laudibus cumulavit. Quae Pauli VI verba nonnullae nationes europaeae rettulerunt: Acta diurna Britanniae quae inscribuntur «Tablet» et «Daily Telegraph» commentaria vulgarunt de «liturgia latina». In Norvegia altisque nationibus consociatio constituta est quae licet litteram et spiritum Concilii Oecumenici pro adhibenda lingua vernacula veneratione prosequantur, tamen linguam latinam cantumque gregorianum enixe promovebunt. Cimus. v. britannus Douglas Woodruff prudenter asserit «si fines seu facultates linguis vernaculis datas transilierimus, fautores nos gentis nostrae facturos...» Quod absonum est omnium gentium europaeorum conspirationi.

Baetulo primum Paeninsulae Ibericae Romanum Municipium. — Baetulonem forte caput fuisse nescias regionis illius feracis ferisque abundantis inter Barcinonem sitae et hodiernam urbem «*Blanes*», quae regio apud Martialem nostrum *Laletania*, appellatur. Baetulo, Augusto imperatore, exstructa esse creditur. Cum, his locis effossis, plurimae antiquitatis classicae reliquiae apparuerint, museum municipale aedificatum est, in quo inter magni momenti res asservatas, has tibi videre licebit: thermas Romanas caldario, frigidario, hypocausto aliisque rebus instructas; sepulcra romana quae ad s. III a. Ch. n. referri videntur; amphorarum et fragmentorum architectonicorum thesaurum, quo nullus fere est in Hispania studio dignior. Invenies praeterea in museo superiorem Veneris partem Baetulone in ipsa urbe effossa, figulinae campanicae reliquias magnamque caninorum dentium apri copiam. Merito Martialis poeta cecinit:

*Ibi (in Laletania) illigatas mollibus damas plagis
mactabis, et vernas apros.*

Joannis Fitzgerald Kennedy laudatio funebris. — Omnes nos de viro illo illustrissimo Joanne Kennedy multa animo commoto recordamur qui, simul ac Foedatarum Americae Civitatum praeses dignissimus creatus est, pro pace inter nationes totis viribus allaboravit. Qui praeter virtutes humanas magnopere laudandas, cum graecarum tum latinarum litterarum cultum et fovit et amplificavit. Nunc praeclarus scriptor Theodorus Ciresola laudationem funebrem in certamine Capitolino XV magna laude ornatam foras misit, cujus haec verba initium faciunt:

*«Duae glandes plumbeae ballistula ejectae, instrumento speculatorio
instructa, te tuis civibus, Joannes, te humano generi ademerunt»*,

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

Sallustiani flores vel gemmae

Sallustius totus pulchritudine maxime varia ac luminibus renidet. Eum igitur cum in manibus habemus plane cogitatione ambigimus quaenam ex scribentibus omittere liceat. Vehementer animi pendemus de selectione, nisi quod, volentes occurrere eis qui nobis romani sermonis indigentiam obicere solent ac senilem duritiam, plura colligemus quae nostris hominibus auxiliari in linguae latinae usu possint ne latinitas eorum pannosae anus speciem praebeat a filiabus vestium lacinias mutuantis.

OPES. — «Quo mihi rectius videtur ingeni quam virium opibus gloriam quaerere...» (*De conjuratione Catilinae*).

Latinum *ope* et *opibus* satis commodae hispanicae locutioni *por medio de* respondet, *valiéndose de, con los recursos de*.

Hoc sensu vox illa «medium» est vilior alga.

ARTES. — «Nam imperium facile eis artibus retinetur, quibus initio partum est».

Praeclara sententia Sallustii digna!

Quamquam *artes* hoc loco non idem sonat atque *opes*, attamen non dubitamus hispanice dicere: ...eis «artibus» = *por esos medios*. Qui ergo putat latine non suppetere vocem aptam ad nostrum *medio, medios* declarandum, is mihi videtur naso carere.

«Agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris et conscientia scelerum, quae utraque *eis artibus* auxerat, quas supra memoravi».

Hic in mentem venit illud tritum ac vulgare: «Finis non justificat media», quod sallustiano verbo in hunc modum converti potest:

«Non quibusvis artibus destinata assequi licet».

«Animus insolens malarum artium» = *Una persona no acostumbrada a tales juegos, mañas, artimañas...*

MODUS. — «Hunc post dominationem L. Sullae lubido maxuma invaserat rei publicae capiundae id quibus modis adsequeretur, dum sibi regnum pararet pensi habebat».

Modus hoc loco verti potest vocabulo hispanico *medio*, ex quo latinum sermonem non tanta inopia laborare, sed potius id opinantes sermonis indigentia officies.

NIMIS ALTA SAPERE = *Megalómano, megalomanta*. — «Vastus animus immoderata, incredibilia, nimis alta semper sapiebat».

Nihil sub sole novum neque veteres linguae contumaces sunt nostris cogitationibus hodiernis. Quid enim magis adamussim respondet ei sententiae quae nostris vocibus *megalómano*, *megalomanía* quam praefata sallustiana verborum series?

LUBIDO. — Lubido dominandi = *la pasión por el gobierno, la pasión del mando*

Plane nolumus ex theologiae libris, qui disciplinas de industria tractant, verba «passiones» et alia amoliri, et displicet oculis tot voculas per-lustrare quae sordibus loquelam foedant regiam imperialemque latinam. «Hunc (Catilinam) post dominationem L. Sullae *lubido maxima* invaserat rei publicae capiundae...».

Pro «*lubido maxima*» stilo familiari, dicimus hispanice, *unas ganas locas*.

Sed profecto fortuna in omni re dominatur; ea res cunctas ex lubidine (*capricho*) magis quam ex vero celebrat obscuratque.

IMPERIUM. — «Coepere maximum gloriam in maximo imperio putare». Imperium = *poder, mando, poder de mando*.

«Nam imperium (= potentia) facile eis artibus retinetur, quibus initio partum est». «Ita imperium (*el mando, el gobierno*) semper ad optimum quemque a minus bono transfertur».

CONTINENTIA-ABSTINENTIA. — «Verum ubi pro labore desidía, pro continentia (*dominio de sí mismo*) et aequitate lubido (*capricho*) atque superbia invasere, fortuna simul cum moribus inmutatur. Pro pudore, pro *abstinentia* (*desinterés*), pro virtute audacia, largitio, avaritia vigeant».

HABERE - *tratar*. — «Huc adcedebat, quod L. Sulla exercitum, quem in Asia ductaverat, quo sibi fidum faceret, contra morem majorum luxuriose nimisque liberaliter habuerat» (*había tratado*).

Ex his id omnes intellegamus oportet laudem latine scribendi, ut in omnibus fit artibus, rem utilem et magnam esse quae ex plurimis rebus minutis multisque in se levibus constat, sed ex quibus illa perpulchra et coloribus varia efficitur tabula picta quae omnium in se oculos animosque convertat.

BERNARDINUS FONTANINUS, O. S. B.

Abadía del Niño Jesús

VICTORIA —Entre Ríos—

(In ARGENTINA)

BIBLIOGRAPHIA

AKURGAL, EKREM, *Die Kunst Anatoliens von Homer bis Alexander*. Walter de Gruyter, Berlin, 1961. 350 pag.

In promptu, lector, habes opus de quo iudicium criticum ferre debemus, tibi certe sperans, si hoc pulcherrimum volumen manibus pervolutaveris, maximae fore animi oblectationi. Anatolia enim ante oculos tuos resurgit; regio illa in qua primi praecellentesque poetae et philosophi terrarum occidentalium a saeculo VIII ad V ante Ch. n. versati sunt, est magna parens artificum sui iuris nullisque obnoxiorum, qui plurimum auctoritate sua apud artifices antiquitatis graecae valuerunt.

Ope rerum novissimis fossionibus inventarum intellegere hodie possumus quantum ars orientalis in artem graecam habuerit momentum. Primum hoc volumine in lucem eduntur artificum opera quae nostris temporibus aetati homericae et insequenti aetati archaicae Asiae Minoris jure tribuuntur. Qui operum acervus valde locupletatur, si nucleo seu stipiti eolico jonico adjungitur humanus cultus finitimarum gentium Graecisque aequalium, ut Phrygiorum, Lyciorum, Lydiorum ceterorumque qui temporibus homericis Asiam Minorem incolebant.

In primis monumenta Phrygiorum in rupe et ex rupe exstructa animos oculosque recentiorum investigatorum in se convertunt propter antiquissimam ac splendidissimam exornationem. Fossionibus nuper effectis inventa sunt figlina

affabre ficta et fragmenta ex metallo ornata et arte digna quae tanquam pretiosa musei exempla adscribantur. Frontes mausoleorum Lyciorum ex ipsa rupe mira arte depromptae indolem quasi magicam prae se ferunt. Quamplurimi longissimae antiquitatis homines in saxis collocarunt sepulcra vel in iisdem in perpetuam sui memoriam excavarunt.

Ekrem Akurgal, clmus. in urbe Ankara Archaeologiae Professor, quo longissime oculi recentium investigatorum conspectum in praesentia ferre possunt, primus vitam cum Graecorum tum Orientalium jam inde ab anno 1200 ante Ch. usque ad annum 300 quasi revelavit. Auctor vivido sermone quamplurima exponit quae fossionibus explorationibusque suis invenit in urbibus eolicis ionicis ut Smyrnae, Sinopae, Phocaeae, Cymes, Cyzici, Dascylei, Pitanae, quas urbes Asiae Minoris aborigenes Graeci incoluerunt. Nihil dubii nobis restat quin studiosi antiquitatis artiumque amici haud parva animi delectatione opus clmi. Professoris Ekrem Akurgal sint lecturi.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

TRAGLIA, A. — *M. Tullii Ciceronis poetica fragmenta*. Sumptibus Arnoldi Mondadori, 1963.

Hoc libro, qui mense Junio A. MDCCCCLXIII in lucem prodiit voluntate et auctoritate collegii Ciceronianis studiis provehendis, editionem criticam Antonius Traglia, clarissimus vir, nobis egregie comperavit Ciceronis fragmen-

torum poeticorum, quae idem jam ab hinc duodecim annos in usum praesertim tironum seorsim ediderat. Tragliae consilium atque operis ratio perspicue in diserta praefatione explicantur (cfr p. p. 1-29), ubi omnia quae ad traditionem, quae dicitur, harum reliquiarum pertinent altius pertractata invenimus. Cum autem unum tantum Ciceronianorum carminum fragmentum libris manuscriptis servatum exstet, scilicet pars quaedam Arateorum, quadringentos octoginta versus complectens, cetera vero, quorum pleraque exigua sunt, a Ciceronis ipsius operibus vel ab aliis scriptoribus repetantur, Tragliae disputatio maxime ab Aratea illis spectat. Quorum textus duobus praecipue nititur codicibus, Harleiano (H) et Dresdensi (D), quandoquidem Vercellensis codex (V) deperditus est, ex quo tamen optimo jure censet Traglia omnes libros recentiores pendere.

Praefationem autem subsequuntur conspectus siglorum accuratissimus, catalogi editionum dissertationum commentationum, testimonia quae de Cicerone poeta veteres scriptores afferunt, denique veterum illae sententiae quibus istorum carminum aestimatio comprehenditur (cfr. pp. 31-61). Habes deinde fragmenta cuncta cum optimo apparatu critico atque editoris animadversionibus plurimis, quae haud raro non solum ad textum recensendum, sed etiam ad versus explanandos adjumentum nobis haud leve praestant.

Hanc igitur editionem valde laudandam et omnibus antecedentibus longe esse anteferendam existimamus. Quae maxime proderit et viris doctis et ceteris qui Romanas litteras ac Marcum Tullium diligunt. Neque est infitiandum etiam

haec frustula ad integram plenamque cognitionem summi illius ingenii omnino utilia esse. Ceterum, etsi poetico spiritu Ciceronem paene caruisse constat, neque ullam gloriam e Musa esse consecutum, attamen poesis haud tenui sensu atque amore et sincero et vehementi praeditus fuit, ac porro, quamvis in carminibus suo Marte compositis prorsus mediocris exstiterit, nihilominus in convertendis Graecorum versibus haud raro eximium elegantemque ac minime ignobilem interpretem sese exhibet.

RAPHAEL DEL RE

B. FRANCHI - G. MELLANO, *Sermo noster*. Corso di Latino per la scuola media. Morfologia. Vittorio Bonacci Editore. Roma, 1961, pp. 378.

In hoc volumine morphologiae Latinae dicato auctores colligere et ordinare curarunt quaecumque ad hanc partem Grammaticae spectant; omnia in eo magna claritate, lucida charta, optima rerum dispositione proponuntur. Quamquam doctrina tantum sine exemplis seu exercitiis continetur, ob eas quas supra memoravi qualitates, illud maxime commendandum existimo. Neque dubium est quin hoc volumen morphologiae Latinae in scholis mediae institutionis Italiae praesertim magnos et opimos fructus sit allaturum.

J. JIMÉNEZ, C. M. F.

CICERO'S *Oration for Arctas* the poet, arranged in sense-lines by Gilbert C. Peterson, S. J. *The Classical Bulletin*, St. Louis University - St. Louis 3, Missouri, 1962, Pag. 18.

Agitur de libello quo oratio illa luculentissima a Cicerone pro Archia

habita continetur. Quae oratio sine praefatione, sine adnotationibus seu commentariis quibus Ciceronis verba illustrentur, in lucem editur. At eo libellus magnopere laudandus est, quod textus ita ab auctore est descriptus atque dispositus «*in sense-lines*», ut uno conspectu possit alumnus —quin animus incommoditate afficiatur— orationem legere, immo fere dicas intellegere. Saepe enim animadvertimus hanc quam orator Romanus concinne, numerose composuit orationem, ob intricatam verborum complexionem, difficulter ab alumnis vernacule reddi.

Quare de opella hac optima clmo. viro Gilberto C. Peterson grates agimus.
JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

PERNOUD, JEAN. — *Annibal*, René Julliard, 30 et 34 rue de l'Université, Paris 1962, Pag. 467.

In promptu habes optimum opus corporis quod «*Il y a toujours un reporter*» inscribitur cujus clmus. vir Georgius Pernoud est moderator. Rerum scriptores munus hoc praecipuum obire debent: hodierna facere cum res gestas tum magnos et illustres viros qui aetatis suae fuerunt auctores.

Ideoque luculentus scriptor, cui nomen Joannes Pernoud, Hannibalem nobis praebet ducem fortissimum, virtutum humanarum exemplum praestantissimum heroemque qui Napoleonis animum magnopere commovebat.

Ad Hannibalis imaginem exprimentam atque describendam cultum, mores, tempora, quibus ille vitam egit, auctor attente exquirat, bellaque, victorias clades magnas vividis coloribus pingit. Ex quo sequitur ut Hannibal dux excelsus

a claro viro Joanne Pernoud nobis praebeat. Ad Hannibalis imaginem complendam scriptores antiqui —«*correspondants de guerre*»— consuluntur: Polybius, Diodorus, Dion Cassius, Valerius Maximus et T. Livius.

GOGGI, PAOLA. — *Res et Verba: Ars Grammatica* (Vol. I et II), *Lexicon* (Vol. I et II). Cura et studio Instituti Superioris paedagogiae, V. Marsala 42, Roma 1962, Pag. 1-231, 1-245, 1-238, 1-223.

Quattuor volumina hoc clmae. feminae Paulae Goggi opus complectitur. Quorum primo et secundo leges grammaticae («*Ars grammatica*»), tertio et quarto vocabula («*Lexicon*»), quae in prioribus libris adhibentur, continentur.

Volumina I et II eadem lepida via et ratione excogitata sunt. Unaquaeque lectio ita distribuitur: proponitur in primis *enarratio* seu totius lectionis summa, sequuntur duae, tres, quattuor *lectiones* —fabulae, narrationes historicae, fragmenta ex classicis scriptoribus excerpta quae ad mores, vitam, instituta, cultum antiquorum spectant— et sub titulo «*observa*» exponuntur breviter leges grammaticae. Quae omnia imaginibus plurimis, lepidisque collustratur, quibus fit amoenior lectionis enodatio.

Opus ergo et magistris et alumnis valde commendamus.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

TONDINI, AMLETTI. — *Rivulis canentibus*, Società Editrice Internazionale, Torino, 1963. Pag. 68.

Quod clmus. vir. Joannes Baptista Pighi in compta politaque praefatione

praenuntiabot, id, plane dicam, nobis legentibus accidit. («*Qui prius hoc et hoc legere velles, libellum perlegeris totum*»). Jucundo enim rivulorum canentium concentu ita sum affectus ut — tum huc tum illuc volvens, ut fieri solet — omnia clmi. scriptoris Hamleti Tondini poemata summa voluptate perlegerim. Poemata merito dico, non quod versibus comprehendantur, sed quod et poetico argumento et elegantissimo exprimendi modo, immo et arte mirabili inscriptionum varias figuras excogitandi, speciem carminis brevis praebent. Duabus quasi partibus inscriptiones constant: primā quae est levis rei (rivuli, pueri dormientis, nivis candoris, arboris, luscinae cantus...) rapida descriptio et alterā quae appellari potest moralis lectio, cum res descriptae ad mores traduantur exque eis scintillulae eliciantur. Quae lectio moralis ad calcem inscriptionis notatur.

Si attente legeris, tres inscriptiones «*rivulis*» (III, X, XVIII), tres — quod idem est — «*rivis*» (XLII, XLIV, L) auctorem dicare animadvertes; quo saltem uno, probatum est indicem «*Rivulis canentibus*» optime excogitatum esse. At intellegenti rerumque sensum callenti, hoc titulo, ut patet, res leves, cujuscumque sunt naturae, significantur.

En inscriptio, ex qua lector dulcem poterit percipere sucum:

QVEMADMODVM HIC RIVVS
DE MONTE CANORVS LIMPIDVS SALVBER
LABITVR TRANSIT
HAVD SECVS IRREVOCABILIS VELIM
MEA VITA DECVRRAT
(Hujus vitae imago)
JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

LELOIR LEON. — *Poésies lyriques grecques*, Office de publicité; rue

Marcq., 16 Bruxelles, 1960, pag. 121.

En, lector, accuratum librum, magnum sane Graecarum litterarum professoribus adjumentum, qui a P. Leone Leloir «*humaniste estimable, heraut des lettres classiques*», «*helléniste de haute valeur*», summo studio et arte factus, a docto viro J. Meunier, in Instituto Belgico Sancti Aloisii professore in lucem evulgatus est. Casu enim accidit ut libri auctor autocineti vectus morte corripere.

Opus hoc fere est omnibus numeris absolutum, nam postrema carminum emendatio ob mortem P. Leonis inopinatam defuit. Auctor 44 poemata melica ex scriptoribus antiquitatis nobilissimis collegit: ex Callino, Alcaeo, Sappho, Anacreonte, Pindaro aliisque praeclarissimis poetis.

Praeter textum graecum brevis vitae poetae narrationem offert auctor, fontes etiam ex quibus poeta vim hausit et impulsus, similes locos, commentarios de re metrica, de aethetica, de historia. Conversio fit «*en vers blancs*». Interdum adduntur ab auctore poemata sermone gallico scripta, quae ad argumentum ipsum melici carminis referuntur. Cultus amplus per totum librum eminet auctoris.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

ENCICLOPEDIA CLASSICA: Sezione III: *Archeologia e storia dell' arte classica*. Volume XI: *Archeologia e storia dell' arte greca*, a cura di Paolo E. Arias. Tomo V: *Storia della ceramica di età arcaica, classica ed ellenistica e della pittura di età arcaica e*

classica Società Editrice Internazionale Torino 1963. Pag. 1-547 I-CLXXIX.

Corpus cui est inscriptio «*Enciclopedia classica*» quodque quattuordecim grandibus voluminibus constat, hoc novo undecimo volumine augetur cuius est index «*Archeologia e storia dell' arte greca*». Cum vero universum hoc argumentum doctrinam comprehendat vastissimam, in alias partes seu tomos volumen est divisum quorum hoc, quod vobis libentibus animis offerimus est quintum.

Hoc libro praecipuae figlinae graecae et antiquarum et classicarum picturarum quaestiones studiosis proponuntur, hodiernis inquisitionibus scientificis a doctissimo v. J. D. Beazley factis illustratae.

Volumen in duas partes dispertitur quarum in prima (pag. 8-521) copiose disseritur de figlinae arte, nominibus, figuris, deque pictoribus classicis et regionibus ubi amphorae, vasa, cyathi, paterae sunt inventa. In altera parte (pag. 522-542) colliguntur indices analytici rerum, pictorum, scriptorum antiquorum, nostrae aetatis studiosorum. Liber absolvitur imaginum indice. Laudandus ergo est illustrissimus vir Paulus E. Arias antiquarum rerum investigator qui hoc volumen et paravit et edidit.

ARISTOTELES. — *Etica a Nicomaco*.

Edición bilingüe y traducción por María Araujo y Julián Marías. Introducción y notas de Julián Marías. Instituto de Estudios Políticos, Madrid 1960. Pag. I-XXIII y 1-174.

Nemo est qui ignoret quantum ad humanitatem hominumque cultum conferat opera illa in sermonem patrium convertere, quae longe lateque per orbem famam et nomen consecuta sunt. Quare scriptoribus qui —provehente Studiorum politicorum Instituto— negotium fovendi et amplificandi hoc corpus enixe susceperunt, propositum fuit hujus temporis hominibus doctrinam politicam praebere quae saepe apud auctores classicos —sive hodiernos sive antiquos— multum valuit. Quo bilinguibus editionibus opera hae parata sunt. Liber «*Ethica Nicomaco*» inscriptus, quo ostenditur virtutem remedium esse ad beatitudinem consequendam, a notissimis scriptoribus Maria Araujo et Juliano Marias et compositus et hispanice scitissimo sermone redditus est. Praefatio praemittitur (p. VII-XV) philosophica doctrina instructa qua acuto ingenio auctores produunt cogitata et linguam Aristotelis ex Platone aliquoties promanare, quippe qui Aristotelis magister fuerit. Agitur deinceps de *Ethica* (p. XVII-XX) ubi quaestio fit de fide deque Ethicae Aristotelicae tempore, controversioque movetur utrum «*pragmateia*» seu «*lógoi*» vel praecepta *Ethica* sit ad alumnorum Aristotelis usum. Agitur tandem de bibliographia, commentariis, versionibus Ethicaeque disputationibus (p. XXI-XXIII).

Conversio quae maximam libri partem complectitur (p. 1-174) fluida est, accurata, pressa, vereque hispana. Quod legenti a libri initio patet. Praeclarissimis his scriptoribus Mariae Araujo et Juliano Marias ex corde gratulamur cum optimum librum foras vulgaverint.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

SAL-LUSTI. — *La conjuració de Catilina*. Text revisat i traducció de Joaquim Icart. Barcelona. Fundació Bernat Metge, 1963. Pag. 107.

Novo hoc volumine quo Corpus «*Fundació Bernat Metge*» locupletatur, elaboratum prooemium (pag. 7-36) et textus bilinguis (pag. 46-104) comprehenditur; cui brevis de vita et Catilinae conjuratione (pag. 39-44) indexque nominum additur.

In prooemio de vita Sallustii disputatur deque adjunctis quae valde in Conjuracione scribenda valuerunt. Sallustius —clmus. v. Joachim Icart ita asserit— interpres animorum selectorum aetatis suae, *virtutem, aequitatem, fidem* laudibus extollit; vitia vero flagitio et invidiae oppugnat.

Cum de Sallustio homine historico auctor agit, sententiam illam communem affert scriptores graecos Sallustium imitatum esse modumque scribendi quasi pressum, asperum a Thucydide accepisse. Quid auctor de Sallustii opere sentiat audi: «*Conjunt manca d'un pla ben estructurat*», sed «*cadascun dels episodis manté tens l'interès del lector*».

Afferuntur aliqua de operibus Sallustii, de apparatu critico deque manu scriptis quae «*mutila*» et «*integra*» appellantur.

Hac editione, paucis mutatis, textus criticus clmi. viri Ernout (Paris, Les Belles Lettres 1960) et Pabón (Barcelona, Col. Hispánica de autores Griegos y Latinos 1954) exhibetur. Conversio catalaunica ex sermone latino facta, nobis omnino probatur quippe quae liquida sit Sallustii-que eā mens et verba optime expriman-

tur. Sed ob modum dicendi Sallustiani concretum difficulter in linguam catalaunicam nonnullae sententiae et locutiones convertuntur; ideoque per ambitum verborum exprimuntur, quin sensus et vis amittatur.

Hoc volumen speramus fore ut ab studiosis eodem quo cetera accipiat plausu.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

BAYER, KARL. — *M. Tulli Ciceronis De Fato*. Lateinisch - deutsch. Heimeran Verlag, München, 1963. 168 pag.

Carolus Bayer propositum hac editione aggressus est quaestionem solvendi de textu Ciceronis «*De Fato*». Quod propositum —ut videtur, difficile— facile redditum est ope textus quem O. Plasberg, W. Ax et A. Yon stabiliendum curaverant.

En novae editionis index: Textus latinus interpretatione germanica illustratus (p. 6-91). Non nulla fragmenta apud alios scriptores inventa germanice quoque conversa (p. 92-97). De operis codicibus manu scriptis (p. 98-111). Commentationes de tempore compositionis, de fontibus, de doctrinis philosophicis quae ad opus referuntur, de operis divisione et structura (p. 112-118). Non nulli loci textus commentationibus latinis ac germanicis illustrantur (p. 119-165). Vorum ac nominum propriorum index (p. 166-167).

Qui classicos scriptores colimus Bibliothecae Heimeran nova hujus operis ciceroniani editione gratulamur.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

RISUM TENEATIS

Palaestrae Adulescentium valedicimus

Cum Palaestram Latinam, lector humanissime, acceperis paginasque illas Palaestrae Adulescentium amoenissimas atque optimo animo conscriptas petieris, eas animadvertes in lucem separatim editas non esse, Palaestram Adulescentium brevem vitam finiisse. Palaestra Adulescentium quae fabulis, cantilenis, leporibus, aenigmatibus rationibusque variis tantum oblectamentum vobis legentibus praebebat imoque vobis cordi erat, abiit... Nobis in mentem occurrit carmen illud Catulli «*Lugete...*». Dolemus revera dolemusque magnopere quod de re vos certiores faciamus. Si a nobis curiosi quaeratis qua de causa Palaestra Adulescentium in posterum foras vulgatura non sit, plane respondebimus variis rerum adjunctis technicisque rationibus ad eam in praesentia non emittendam nos compelli. Est ergo quod Palaestrae Adulescentium ex animo valedicamus gratesque ei de otiiis quae nobis fecit persolvamus maximas.

Palaestra Latina tamen paginas deinceps etiam habebit, quibus animi rebus jocosis cum dulcibus utilibusque mixtis valde delectentur, quaeque simul Palaestrae Adulescentium gratissima sit et vivida recordatio. Quare vos lectores ex corde invitamus ad commentarios nostros legendos, pro certo habentes ibi inventuros quae vobis sint utilitati, quieti, otio, joco animique relaxationi.

Qua occasione oblata, lectores rogamus —praesertim eos qui scholis praesunt— ut nobis narrationes, aenigmata, cantilenas, sales ceteraque mittant; de quibus gratiam eis habebimus.

PALAESTRAE LATINAE MODERATORES

PERSIAE IMPERATOR

Imperator Persiae aliquantulum gloriosus, parum fatuus, minime stultus, qui turba adulatorum circumdabatur, quondam universos subditos congregavit eosque rogavit:

«Volo quid de mea gloria putetis et vestram sententiam proferatis. Qui verum dixerit, anulo pretioso donabitur».

Omnes «Supremo», «Maximo», «Invicto» regi proferebant laudes. Tyrannus unicuique fulgentem anulum tradebat. Elai-nus vero honestissimus inter omnes optimates tacebat, nihil aiebat. Cui imperator:

—Num, inquit, pretioso donari anulo nolis?

—Domine, mendacium vendi potest, verum gratis donatur.

—Mihi ergo dic verum...

—Te Dominum et Regem meum puto, ac vere etiam ex limo factum esse, ceteris similem et erroribus peccatisque subiectum, teque miserum futurum nisi subditos felices feceris.

Rex tacuit neque anulum ei dedit, eum autem amicum et consiliarium creavit.

Paucos post dies ex optimatibus quaesivit num anulis contenti essent. Cui adulatores responderunt:

—Domine, eos pluris quam vitam ducimus quia tui, sed mercator qui eos tibi vendidit furcam meruit, fabri enim sunt.

—Idi sciebam, vos fuistis qui furcam meruistis. Laudibus non veris non veri anuli dandi sunt.

J. SÁNCHEZ

SERVUS PRO HERO MORITUR

In proscriptione illa civium quam Octavianus, Antonius et Lepidus decreverunt, servus quidam herum in cavernam abdidit. Sed cum eum in dicio alieno periturum esse cognovisset, vestem cum eo suam permutavit sicque indutus percussoribus occurrit ac pro suo ipse hero est occisus.

N. MANGEOT

QUAE SUM?

Robusta sum radicibus
quam frigora non vincunt;
Vestem in hieme odi,
me juvat in aestate.

FIDELIS MARTÍNEZ

INTER EBRIOS

Duo ebbri cum deambularent per viae ferratae trabes, alter alteri dixit:

—«Quam commodae hae sunt sca-lae!»

—«Commodae, alter respondit, sed cancelli (*baranda*) sunt depressi...».

MICHAEL BAILÓN

Filius: «Pater, quomodo sapientissimi phaenomena naturae cognoscunt?»

Pater: «Noli stultus esse, fili, nonne ipsi acta diurna ut nos, legere queunt?»

ALOISIUS PARICIO

AEGER SUM

Joannes omnes medicos odio persequitur. Quodam die eum aegrotantem amici monuerunt:

—Medicus est.

—Ut abeat quaeso, inquit, hodie enim eum accipere non possum, aeger sum...

FERDINANDUS MARTÍNEZ

IN SCHOLA

Magister: Quare occiput scabis?
Hoc est rusticorum...

Alumnus: Quia adversa parte non mihi pungit.

GOODWIN CHWKW

MEL TOSTUM

Galli duo iter per Hispaniam facientes, in deversorio quaesierunt num quid ad edendum esset.

—Duo sunt mellis favi, respondit cauponarius.

—Quid vero sunt favi?, alter interrogavit.

—Domine, respondit comes, hic illiteratus est.; ego hujus rei non ignarus sum: favum mihi praebe coctum, amico alterum favum paratostum ..

REINALDUS PINA

Abjecta interdum utilitati sunt hominibus

Egredientes ex urbe iter olim pater et filius faciebant. Aestus intolerabilis erat. Aspexit pater ferri frustrum dixitque puero:

—«Tolle ferrum de terra, nobis enim opus esse potest.

—Quid ergo, pater?, filius interrogavit. Noluitque de terra ferrum levare. Quod cum animadverteret pater clam id de caespite sustulit.

Cum in parvum vicum venissent, pater a filio discessit, ferrum parvi vendidit ac cerasa a mercatore emit.

Vespere iter rursus inierunt. Sol fervens fontibus aquas et iter facientibus vires ac robur rapuerat.

Pater anteibat et interdum e pera cerasum unum eiciebat quod puer raptim arripiebat; donec fatigatus, ut simul omnia daret, filius a patre quaesivit. Sed contra pater:

—Quia inclinare te semel ut ferrum tolles noluisti, toties quoties sitim sedare volueris ad cerasa colligenda tibi erit demittendum».

MARIANUS VIERA

URSUS ET APES

Ursus ambulans per silvam leviter ab ape punctus est. Prae iracundia incensus, clamores edidit magnos: «Hostibus miserrimis bellum indicam, eorumque gentes perdam».

Statim pedibus dentibusque apum alvearium destruere coepit. Sed tanta audacia succensae, in eum omnes apes irruerunt suamque vitam ac libertatem fortiter defenderunt. Aculeorum autem ictibus lacessitus, ursus corpus, amens dolore et fremens in terram volutabat.

Deinde in antrum cum rediisset, iterum cogitavit secum: «Me stultissimum! Quam stulte egi! Levem ictum aequo animo non tuli et mille nunc vulneribus crucior...!».

VINCENTIUS ESPUEY

ANNI MENSES VERSIBUS EXPRESSI

Etsi latini scriptores saepe anni menses nominatim non significant, nonnumquam tamen ex signis temporum colliguntur. Quae signa indubitata non sunt; plus vero minusve rem exprimere posunt.

JANUARIUS

Vides ut alta stet nive candidum
Soracte nec jam sustineant onus
silvae laborantes geluque
flumina constiterint acuto.

(*Hor., Carm. 1, 9, 1-4*)

FEBRUARIUS

Frigoribus pasto agricolae plerunque fruuntur
mutuaque inter se laeti convivia curant.

(*Verg., Georg. 1, 30-1*)

MARTIUS

Diffugere nives, redeunt jam gramina campis
arboribusque comae;
mutat terra vices et decrescentia ripas
flumina praetereunt...

(*Hor., Carm. 4, 7, 1-4*)

ARCANA VERBA

(Ut ea invenire possis puncta
litteris muta)

. A .	Tanquam
. . R . .	Ciceronis praenomen
. . . C . . .	Ducere
. . . H . . .	Vehere
. . . I . . .	Praeclarus
. . A . .	Fortunati
. S .	At

Excogitavit

ERNESTUS MARTÍNEZ

HORA AD EDENDUM APTA

Homo ditissimus quota ap-
tior diei hora ad manducandum
esset a tribus medicis quaesivit:
Primus respondit: «Hora deci-
ma». Secundus: «Hora undeci-
ma». Tertius vero bonae volun-
tatis plenus: «Hora, inquit, do-
mine, ad manducandum aptis-
sima est diviti cum esurit, pau-
peri tamen cum quidquam ha-
bet»...

FELICIANUS RONDO CHELE

BIBLIOGRAPHIA

PICARD, CH. — *Manuel d'Archéologie Grecque*, La sculpture, IV, Période classique - IV siècle (deuxième partie). Edit. A. et J. Picard, Paris, 1963.

En magnae molis magnique momenti opus in quo de archaeologia graeca disserte agitur et in primis de arte statuaria ad aetatem, quae hellenistica vulgo dicitur, pertinenti. Volumine enim quod lectoribus praebemus manu quasi ducimur et adjuvamus ad saeculum IV — usque ad mortem Alexandri Magni — contemplandum. Saeculum sane quamvis artificibus locupletissimum — Lysippum dico, Praxitelem, Scopam, Leocharem, Bryaxem ceterosque — libris manualibus de re archaeologica obiter plerumque ab auctoribus tractatur.

Unde et novitas operis C. Picard. Quam colligere ipse poteris, cum indicem tantum operis legeris: Caput X: Lysippus ejusque auctoritas apud ceteros statuarum artifices (p. 429-756). Caput XI: Alii magistri aliaque opera incerti nominis (p. 757-1120). Caput XII: De monumentorum votivis ac funerariis signis (p. 1121-1393). Appendix I: De indole religiosa et symbolica stellarum funebrium classicarum (p. 1394-1434). Appendix II: De lecythis urnisque cinerariis (p. 1435-1454). Verisimilis tabula chronologica operum, temporum, locorum (p. 1455-1474). Additiones et correctiones (p. 1475-1483). Index alphabeticus nominum statuariorum (p. 1484-1492). Tabula imaginum quae textu continen-

tur (p. 1493-1505). Tabula imaginum extra textum (p. 1506-1507). Tabula capitum analytica (p. 1508-1509).

Ars statuaria saeculi IV — juxta C. Picard sententiam — nuntius quidam videtur alterius aetatis classicae quam prima humanioris. Hellenistica enim aetas rebus novis magis aperta apparet; tunc vero statuarii per alias regiones gentesque itinera faciunt, ex religionibus exteris avide sumunt ad opera sua locupletanda novum quemdam sensum seu vim mysticam; philosophia, poesi lyrica et dramatica, ceterisque elementis humani cultus illius aetatis artifices expediuntur et praemuniuntur ad nova opera novo quodam stilo in artibus tentanda.

Liber C. Picard per se ipse commendandus commendatione nulla aliena indiget.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

TUSCULUM-LEXIKON, *Griechischer und lateinischer Autoren des Altertums und des Mittelalters*. W. Buchwald - A. Hohlweg - O. Prinz. Heimeran Verlag, Munchen, 1963. 544. p.

Nomen et fama scriptorum qui «Tusculum - Lexikon» exararunt satis nota cultoribus humaniorum litterarum videntur ut hoc opus quod edidit Domus Libraria Heimeran, merito per se commendentur. Nam W. Buchwald «Thesouro linguae latinae» operam navavit; A. Hohlweg in membris Instituti Universitarii

Bizantini in urbe Monachio (München) adnumeratur; O. Prinz «Lexico latino medii aevi» exarando vacavit.

Volumine de quo agimus in indicem sunt relati quamplurimi iique insignes ac notatione digni scriptores graeci et latini antiquitatis et medii aevi. Praeter ea quae cujusque scriptoris propria videntur de eorum vita, loco ceterisque, opera in primis notantur eorumque in litteris dicendi genus et momentum. Notitia cujusque auctoris brevis sed tam lucida ut lectori semper adjumento perutili sit ad ingrediendos legendosque scriptores graecos et latinos. Nam «Tusculum-Lexikon» commodam sternit viam in quodlibet opus cujusdam in litteris auctoritatis ac momenti quod superstite vita ad nostram aetatem fruatur. Domui Librariae Heimeram quam maximas gratias habemus quod opere tali nos donaverit.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

LUCIANO, L. — *Vocabolario Italiano-Latino*, Nuova ediz. a cura di A. Traina. Edit. Ricardo Patron, Bologna, 1962. 1092 pag.

Cimus. vir A. Traina novam hanc editionem lexi L. Luciano quod olim «Nuovissimo Vocabolario fraseologico italiano-latino» inscribebatur quodque in lucem anno 1924 vulgatum est, nostris temporibus omni laude aptandum curavit. Quod plane assecutus est.

Inter plura nonnulla, ut ipsius A. Traina in prooemio verbis utar, notanda nobis videntur: tria circiter milia vocum superiori vocabulario addita sunt; aggregata est etiam abundans copia locutionum quae excerptae sunt tanquam primo fonte e scriptoribus ad omne genus latinitatis pertinentibus; accurate loci seu fontes et index scriptorum memorantur; omne vocabulum quod a classicis scriptoribus usurpatum non est, notula quadam stilistica illustratur («arcaicum, poeticum, technicum, postclassicum», cet.); annotationes synonymicae ac syntacticae scite retractantur.

En totius operis conspectus: Prooemium (p. V-VII), Tabula verborum latinorum (p. IX-XVIII), Index auctorum memoratorum (p. XIX-XXIII), Vocabularium A-Z (p. 1-1030), Nominum propriorum index (p. 1031-1092).

Laudandus sane finis quem sibi A. Traina in hoc vocabulario iterum vulgando proposuit: ut opus L. Luciano esse in posterum pergeret utile adjumentum sermonis latini studiosis, iis praesertim vero qui Universitatem adeunt et candidatis qui certamina sunt petaturi. Quapropter, praeter ceteras vocabularii doctes utputa chartam optimam, accuratissimam formam atque dispositionem typographicam, omnino lectoribus commendamus opus quo nostra aetate in Italia lexicographia latina (Cardinalem Bacci, Mariano, Badellino, ceterosque memoro) magnopere honestatur.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.